
VENETO

ANTONII BERGAE
TAVRINENSIS,
IN ACADEMIA SVBALPINA
DOCTORIS PHILOSOPHI ET MEDICI,
PARAPHRASIS DISPVTATIONVMQ.
SELECTARVM LIBRI QVATVOR,
IN LIBROS ARIST.
DE ORTV ET INTERITV.



ATENEO VENETO
VENEZIA

AVGVSTAE TAVRINORVM
Ex officina FRANCISCI Dulcij.
M. D. LXVIII.



SERENISSIMO D. D. EMANVELI PHILIBERTO ALLOBROGVM DVCI, TAVRINORVMQ. PRINCIPI POTENTISSIMO.



MENS vt ſcribitur in Timeo, Sereniſsime Princeps, inſitas rerum omnium Ideas in viuentibus contuetur. Hinc Mundi opifex cogitauiſſe dicitur, Vniuerſo includere quæcunque, mens in eo quod animal eſt, contemplatur, quæ quidem aliquando ſi efficiatur, nihil extra ſe amplius intelliget, ſed ſe ipſam intelligens, omnia intelligere putabitur, in quo ſanè fœlicitatem eius collocatam eſſe patet, ad quam pauci accedunt, propterea quòd illis homines magis incumbant, quæ ſua facere nequeunt: Vnde illud contingere cernimus, humanum genus rerum ferè omnium deſiderio teneri, eaq. frui voluptate, cui dolor comes eſſe ſolet. Tres enim voluptatis ſpecies cum ſint, a quibus totidem vitæ genera ortum habent, voluptuarium, ciuile, & contemplatiuum, vera beatitudo contemplatiuo continetur,

in quo homo Dei actionem exercet, cum ex solo intellectu operetur, in voluptuario autem tantum abest, vt bonum aliquod habeatur, vt qui eo vitę genere delectantur, Brutis similes esse ferantur, in ciuili autem, quod humanis rebus preesse censetur, nihil inesse, quod omni ex parte beatum sit, rerum humanarum vicissitudo satis ostendit. Qui ergo contemplatiuam vitam agunt, optimo summoq. bono maxime gaudent, cum propriam hominis operationem exerceant, quæ in assidua separatarum substantiarum meditatione versatur, quam profectò qui præstare possunt, ad Deos maxime accedunt, quemadmodum inter huius ætatis Heroas de te orbis totus prædicat, quem in hanc vsque diem Dij seruarunt, vt eo auctore summa tranquillitate Christianę Reipub. Reges et populi fruerentur. Etenim virtute bellica omnes eorum lites cum diremeris, intestinaq. dissidia & bella iam antiquata sustuleris, illi te non solum diuinis honoribus affecerunt, sed auitas ditiones tibi reddere maturauerunt, quas vix ingressus, nihil magis curasti, quàm fidem catholicam seruare, iusq. diuinum tueri atq. propagare, quandoquidem nihil perpetuum, nihil sanctum esse intelligeres, nec non ceteras virtutes nihil esse, si nullam pietatem coniunctam habeant: quibus maiores sęculi Imperatores facile superasti. In primis si iustitiam ad memoriam reuocauerimus, quæ in te veluti Hesperus & Lucifer fulget, Caius Iulius Cæsar tibi minime venit comparandus, quem Cassius & Brutus tribus & viginti vulneribus confossum, omni imperio spoliarunt, quod tibi in tantis fortunæ fluctibus minime contigit, cum Carolus Quintus Cæsar maximiq. Reges te omni officij genere semper

re ſemper proſequuti fuerint. Præterea ſi animi tui fortitudinem alij expenderint, Scipionem Affricanum nemo tibi conferre poterit; ille enim victam Chartaginem deleuit, illiq. parcere neſciuit, Tu validiſsimis in Gallia Celtica vrbibus oppugnatis, duobusq. exercitibus profligatis, ab omni facinore atque impietate abſtinuiſti, in quo tibi plurimum cum tribueret Henricus Secundus Gallorum Rex, Margaritam ſororem, Biturigum Ducem, fœminam omnium quas orbis habeat, atque habiturus ſit lectiſsimam, tibi deſpondit, tuamq. in amicitiam redire maturauit. Quibus ſi prudentiam, quam omni negocio adhibes, etiam adiunxerint, Hannibale Chartaginenſium Imperatore maior videris, cum ille ſecunda fortuna vti neſciuerit, Capuæq. totus luxui deditus, omnem gloriam amiſerit, quam tot pręliis, tantisq. periculis iam comparauerat, Tu autem nihil in militari negocio omiſſum feciſti, quod ſummo Imperatore ſtrenuoq. milite dignum iudicares, atq. quod tot labores a puero ſuſcepti, totq. egregia facinora poſtulare videbantur. Quod ſi ego animi tui magnitudinem adiungere auſim, alter hoc tempore Alexander videris, cum nihil magis cordi habeas, quàm ſcientias artesq. pręclaras augere, atq. excolere, quod Academia tua in primis oſtendit, quæ Doctorum auctoritate cęteras anteire putatur, deinde illuſtres viri, qui in tuos ordines Aulamq. tuam regiam recepti ſunt, qui in ciuili & militari negocio plurimum valent. Ex quo factũ eſt, vt omnes te non ſolum admirentur, ſed etiam vt ſummo in honore habeant; Cum quibus me eſſe vt intelligeres, Princeps Sereniſs. opus hoc meũ tibi dicare volui, quod pro tua clementia ſi humaniter

suſceperis, maiora in poſterum tentare non dubitabo; vt egregium aliquod meæ in te obſeruantiæ teſtimonium habeas. Interea faxit Deus, vt tibi pro voto omnia ſuccedant.

Celſitudinis Tuæ.

Mancipium Antonius Berga.

ANTONII BERGAE TAVRINENSIS PHILOSOPHI ET MEDICI.

PROOEMIVM, IN LIBROS ARIST. DE ORTV ET INTERITV.

SVBSTANTIAE quæ natura constant, partim ingenitæ immortalesq. seculis omnibus sunt, partim verò ortus atq. interitus participes intelliguntur. Cum ergo naturalis disciplina vtramq. substantiam, quę motum habet, contemplari dicatur, propterea quòd primam materiam cum primo mouente cœlestia q. corpora speculetur, nec non cetera, quę ortui interituiq. sunt obnoxia. Ea vero quæ vtriq. substantiæ comunia sunt, in libris phisicarum auscultationum tradiderit Arist. in quibus corporum omnium quæ natura constant causas prosequitur, in libris autem de cœlo ea explicarit, quæ ad totius cœli constitutionem concurrunt, cœlestia in quam corpora & quatuor elementa prout simplicibus motibus feruntur. Reliquum est in partibus quę has sequũtur, vt eorum tractationem suscipiat, quę ad caducas substãtias pertinere censentur. Quorum alia cum sint comunia, alia autem propriæ: comunia, quæ ordine doctrine antecedunt, hoc opere docere instituit. Hæc autem quatuor sunt elementa, quatuor primis qualitatibus formata, calore, frigore humore, et sicco, nec non mutationes, quę harum qualitatum mutuam actionem atq. passionem consequuntur, sine quibus mista omnia tam animata, quàm inanimata nequaquam producerentur. Quorum si mihi tam preclaram explanationem habere contingeret, quam huius operis dignitas postulat, multum profecto laudis ego studijs meis fortassis adiungerem. Nam cum perobscura nec satis explicata sit earum mutationum contemplatio, quas cœlum, & quatuor elementa in effectione mistorum corporum efficere solent, aliquid etiam mihi relictum video, in quo post multos & celebres peripateticos, philosophiæ studiosis non nihil prodesse possim. Etenim si quispiam omnium, quæ a prioribus conscripta sunt, rationem habeat, probabilibus rationibus quandoq. vtendum erit, cum nondum constare experiamur, quis nam ille sit, quem omnes probent? quare & si difficilimum sit, nouum quidpiam prestare, id tamen adhiberi fortassis poterit, quòd veriores sententias aperiat. Quod sanè si ego sim facturus, nec scio, nec si sciam, dicere ausim. Nam cum paraphrasim edere instituerim, plurima neglecta iri eueniet, quæ ad magnificum & copiosum interpretandi genus

spectare censentur. Ne igitur in multis deesse videar, grauiores etiam disputationes perpendere, copioseq. pertractare conabor, quas duobus libris comprehensas separatim discutere curabo.

ITAQ. totius operis scopus in hoc potissimum cum versetur, quòd omnium generabilium & corruptibilium corporum, quę natura constant, causas aperiat: primum de ipsis mutationibus, quæ illis sunt communes, tractationem suscipit Arist. quarum causæ elementa quatuor primis qualitatibus formata, esse dicuntur, nec non motus Solis in Zodiaco, quemadmodum libro secundo huius operis docet: Nisi elementa calore, frigore, humore, & sicco prædita, præter primam materiam adessent, nullum mistorũ corporum produceretur, nec aliqua in mortalibus mutatio contingeret. cum ergo in lib. physicarum auscultationum ea tradiderit Arist. quæ ad corporum omnium naturalium cum æternorum, tum mortalium cognitionem atq. constitutionem faciunt. in libris verò de cœlo ea explicarit, quæ ad vniuersi fabricam concurrunt, cæleste corpus & quatuor elementa, prout simplicibus motibus feruntur: in hoc opere, quod tertium locum obtinuit, communes rerum mortalium mutationes, nec non illarum causas, præsertim materialem atq. effectricem docere instituit: ab ipsis mutationibus exordium sumens, tanquam ab his, quæ sunt notiora: quarum doctrinam priore libro prosequitur, in quo de generatione, corruptione simpliciter, nec non de alteratione, de incremento, de mistione, deq. ipso facere, pati, deq. tactu agit, quæ sanè mutationes res omnes caducas consequuntur: illarum autem causas libro secundo prosequitur, in quo de materia propria omnium generabilium & corruptibilium corporum disserit, quam quatuor statuit elementa esse, quatenus calida, frigida, humida, et sicca fore dicuntur, nec non de causa generationis et corruptionis effectrice, quam motum Solis in Zodiaco esse, demonstrabit, sine quo circulo minime perennis redderetur mortalium ortus atq. interitus. Ita vt iam constare putem, scopum huius operis esse, vt causas et rationes eorum, quæ natura generantur & corrumpuntur, nec non ceterarum mutationum doceat Arist. quibus ignoratis, nihil quod ad perfectam mistorum corporum cognitionem facere videatur, haberi potest: communia principia quæ in lib. physicorum tradita sunt, minime sufficiunt, cum cognitionem confusam solum adferre videantur. quare præter communia, etiam propria vniuscuiusq. rei principia & causæ sunt perquirende, quod nos in tota physiologia facere Arist. docet, qui communes & proprias, rerum naturalium causas prosequitur.

CAPVT PRIMVM LIBRI PRIMI, QVAE SIT huius operis intentio deq. generatione & alteratione antiquorum sententiæ.

1 *DE ortu autem atq. interitu eorum, quæ natura non autem arte, aut alio mõdo fieri dicuntur, hoc libro tractationem vt suscipiamus, ordo quo in tota rerum natu-*

naturalium contemplatione vti instituimus, postulare videtur, nec non ut illorum causas presertim materialem atq. effectricem in vniuersum prosequamur, & rationes hoc est modos, quibus corpora omnia natura fieri atq. corrumpi solent. Nihil enim recte de ortu atq. interitu mortalium dici potest, absq. notitia causarum, a quibus procedunt, & modorum secundum quos fieri videntur: sublatis enim causis nullo pacto contingerent, modis autem ignoratis, discrimen ipsarum mutationum minime assequeremur, de quibus sermonem facere decreuimus: Non solum ergo communem ortus atque interitus, quæ prime sunt mutationes, hoc opere doctrinam aggredi oportet, sed etiam illarum causas & rationes explicare, decet. Amplius vt de alteratione atq. incremento agamus, tractatio hec postulat, ne aliquam mutationem omittere videamur, quæ caducis corporibus conueniat, nec non vt discrimen alterationis ab ipsa generatione simpliciter dicta assequamur, quod priores Philosophi, qui naturaliter loquebantur, minime intellexerunt, quare quid nam alteratio sit ipsumq. incrementum, nec non in quo nam generatio simpliciter ab alteratione distinguatur, docere operepretium est, an scilicet secundum rationem, an vero secundum ipsum nomen inuicem huiusmodi mutationes etiam separentur. Antiquorum enim aliqui nullum discrimen generationis simpliciter atq. alterationis attulerunt, aliqui vero aliquod adferre visi fuerunt. Nam quemadmodum primo libro physi. & Metaphy. docuimus, cum eorum alij vnum tantum facerent rerum naturalium principium, alij vero plura, quicumque vnum esse dixerunt omniaq. ex eo generant, nihil aliud generationem esse, fateri coguntur quàm alterationem, & quod proprie hoc est simpliciter fit, alterari atq. secundum quid potius fieri. Quicunque vero ex parte materie plura posuerunt, quemadmodū Anaxagoras, Empedocles, Democritus, & Leucippus, videntur quodammodo ipsam generationem ab alteratione separare, inter eos tamen Anaxagoras propriam vocem ignorauit, cum generari & corrumpi idem esse dixerit. cum ipsò alterari, quandoquidem alteratione potius quàm generatione vtatur: cum exitum quendam generationem esse dicat, multa ponens elementa, veluti Empedocles. Illos autem qui vnum principium materiale dixerunt, eandem facere proprie dictam generationem cum alteratione, illud ostendit, quòd vnum & idem subiectum quod actu maneat vtriq. mutationi subijcere videantur, in quorum numero Thales, Heraclitus, Hippasus, Anaximander, & Hippon extiterunt, qui aut ignem tantum, aut aerem, aut medium, pro materia rerum. quæ generantur supposuerunt. Qui vero plura principia faciunt, eaq. finita vel infinita, iccirco aliquam differentiam faciunt, quoniam alio modo generationem alio vero alterationem insurgere dicant. Empedocles enim congregatione generat, segregatione corrumpit, vtriusq. vero causas amicitiam & litem esse voluit alioq. modo alterationem ipsam fieri Democritus autem & Leucippus congregatione atomorum generant, mutatione autem secundum situm & ordinem alterant. Anaxagoras vero, qui partes infinitas similares principia esse voluit, illisq.

coeuntibus, carnem aut os fieri, aliquam etiam videtur ponere differentiam inter generationẽ & alterationem, atq. illam magis attingere quam cæteri, cum principia hæc mutabilia faciat, nõ autem immutabilia veluti Empedocles, qui elementa secundũ eorum passiones immutabilia facit, quemadmodum posterius docebimus. Anaxagoras autem partes similares mutari voluit, atq. ex illis quatuor elementa generari, non autem ex elementis partes ipsas similares cum Empedocle: omnes itaq. qui plura ponunt, cum congregatione generent, alio autem modo alterent, aliquod penes modum discrimen inter has mutationes cognouisse videntur, secundum veritatem tamen non possunt alterationem saluare, cum Empedocles immutabilia quatuor elementa esse dicat, atq. generationem nihil aliud fore, quàm mistionem & fœdus mistorum. Democritus autem cum atomos, quę sunt corpora indiuisibilia ponat, etiam immutabilia principia adferre cogitur, quia cum sint indiuisibilia impassibilia erunt, veluti postea ostendemus. Anaxagoras vero partium similitudines passionibus determinari voluit, non autem ab illis aliquam partium differentiam sumi, atq. ex pluribus partibus carnis non resultare carnem, sed apparere, ita vt omnes digni sint reprehensione, cum ad eorum principia maximum sequatur absurdum, nullo videlicet modo alterationem saluari, quam tamen negare omnino est impossibile. Empedocles enim cum secundum proprias passiones elementa immutabilia esse dicat, Democritus, & Leucippus impassibiles atomos, quia indiuisibiles, similiter partes similares Anaxagoras, cum ex illis res generantur, nulli dubium est, ad eorum principia necessarium esse, vt hoc consequatur, tolli de medio ipsam alterationem, quam tamen auferre omnino est impossibile quod vno suppositio facillime demonstrabimus, Suppositum vero est huiusmodi: Si quiescente siue manente substantia, hoc est subiecto remanente, videmus mutationem secundum magnitudinem fieri, veluti puero secundum substantiam & rationem minime mutato, incrementum in illo fieri, quod quidem motus est ad ipsam magnitudinem siue molem: similiter necessarium est, in eo ipsam alterationem fieri secundum ipsas qualitates: quemadmodum ex ratione harum mutationum apparebit, quas posterius adferemus: corpus enim aliquod cum a frigore ad calorem mutatur, fit hec mutatio corpore ipso actu remanente, quæ non nisi alteratio esse potest: alterationem ergo tollere, est impossibile, quam Protagoras etiam ausus est negare, qui nihil uere calefieri, aut alia qualitate affici dixit, sed solum apparere: cum ergo ad principia antiquorum, qui plura esse profitebantur, alterationem ipsam tolli sequatur, digni videntur reprehensione, presertim Empedocles, qui Solem album hoc est lucidum videri, & ignem calidum, non autem talem eorum naturam esse voluit; similiter imbrem caliginosum & frigidum, atq. passiones elementorum immutabiles esse, secundum quas alteratio contingere solet, quare si fieri non potest, vt ex igne fiat aqua, neq. ex aqua terra, neq. ex albo nigrum erit, neq. ex molli durum & aliorum vnumquodq. ita vt omnino Empedoclis opinio ipsam alterationem subuertere videatur. quam tamen negare omnino est impossibile:

sibile: quemadmodum rursus indicare possimus, si vera sunt, quæ primo libro physicorũ docuimus, vnam semper supponendam esse contrarijs materiam, siue transmutetur secundum locum, siue secundum incrementum & decrementum, siue secundum alterationem, mutatio enim omnis cum sit inter contraria, subiectum requirit, quod contrariorum actionem passionemq. sustineat, quoniam ab altero contrario cum alterum corrumpatur, nullum corpus absq. materia generari valeat, quod ita se habere illud indicat, si quidem rationes corporum in rationes materiæ & formæ dissoluantur. igitur si preter contraria subiectum desideratur, nullo modo alterationem tollere erit possibile, quoniam mutatio hæc absq. alteratione minime fiat, quod preterea verum esse hoc, pacto demonstratur, quoniam semper verum est dicere, est vnum subiectum contrarijs commune, ergo alteratio est, & econuerso datur alteratio, ergo & commune subiectum contrarijs, ita vt alterationem ipsam si quispiam sustulerit, materiam, quæ vtrique contrario subijcitur, etiam auferre cogatur. Ex his igitur patet, Empedoclem non solum sibi con- 2
tradicere, sed etiam ea in medium adferre, quæ sensui repugnant: Etenim cum videamus elementa adinuicem mutari, male videtur asserere, alterum ex altero minime fieri, siue alterũ in alterũ non mutari, sed omnia ex illis solum fieri; sibi autem contradicere, iccirco dicitur, quoniam etiam videatur, elementa mutabilia facere; cum in Sphæri generatione omnia in vnam naturam transire amicitia regnante, atq. in diuersas distrahi lite dominante affirmarit, ita vt elementa mutari, asserere videatur, quod tamen negabat, cum illa principia verum necnon immutabilia faceret, quoniam principia illa vere sint, quæ ex alijs nequaquam fieri dicuntur. Incertum preterea est, secundum dicta Empedoclis, an vnum tantũ re- 3
rum sit ponendum principium, an vero plura, cum modo ex elementis Sphærum faciat, modo vero ex Sphæro ipsa elementa producat, quare cum sibi minime constet, nullo pacto eius opinionem admittere oportet.

CAPVT SECVNDVM. DE QVO TRACTANDVM SIT.

Quod non dentur indiuisibiles magnitudines. Quod generatio non necessario fiat per congregationem, & ideo generationem non esse alterationem.

HIS autem propositis, quæ ad totius operis intentionem pertinere censentur: operepretium est, vt id quod proposuimus aggrediamur. Itaq. cum de generatione simpliciter, nec non de ceteris mutationibus priore libro differendum sit, quæ rebus mortalibus sunt communes: primum duo quæsita de illis vt discutiamus, necessarium esse videtur, maxime vero de ipsa generatione simpliciter dicta: Vtrũ 4
uere sit, an non sit, nec non si concedatur, quomodo nam illam fieri contingat: alterum enim iccirco perpendere cogimur, quoniam ex his quæ in 3. Coeli docuimus, solum generationem dari constat, non autem an similiter generatio simpliciter esse aliquod habeat, quoniam priores Phylosophi, qui naturaliter loquebantur, generationem potius secundum quid introduxerunt: alterum preterea definire oportet,

tet, vt commodius discrimen generationis simpliciter ab alteratione assequamur, quæ generatio quædam esse dicitur, quod antiqui Thylosophi attingere, minime potuerunt. Quemadmodum si a Platone initium fecerimus apparebit, in Timeo enim solum hoc videtur de generatione & corruptione dixisse, quomodo nam existant in rebus, atq. non de rerum omnium generatione loquutus, sed tantum ipsorum elementorum ex superficiebus, quarum nullam considerationem nec non elementorum habuit in generatione partium similarium. ita ut ad eius principia cum mistorum generatio nequaquam sequatur, esse generationis simpliciter omisisse uideatur atq. diminutus, cum de generatione rerum loqueretur. Amplius cum ceteris Antiquis excepto Democrito, nihil de incremento atq. alteratione docuit, quomodo nam rebus ipsis existant, ita ut superficietenus de illis potius quàm exacte disseruerit, quemadmodum etiam de generatione facere usus fuit. De omnibus autem Democritus rationem habuit, propterea quòd principia rerum omnium corpora supposuerit, ex quibus non solum elementorum sed mistorũ etiam corporum generationem saluabat. atq. alios motus. secundum quasdam huiusmodi corporum passiones, precipue uero ipsam alterationem, quemadmodum inferius ostendemus. De incremento autem nullus Antiquorum quicquam protulit, homine philosopho dignum, cum simili apposito omne quod augetur, augeri solum dixerint, quod etiam vulgus nouit, quomodo uero ipsum incrementum fieri soleat ignorauerunt, nec non quomodo uere mistio insurgat, ipsumq. agere & pati: quæ qualitates seu passiones elementorum sequuntur, quas Plato cum alijs etiam pretermisit, quemadmodum suo loco indicabimus. Quod uero modo illis imponimus, facile quicumq. intelliget, si Democriti & Leucippi sentẽtiam primum considerauerimus: Etenim cum atomos, quę corpora quedam apud illos omnino sunt indiuisibilia rerum omniũ principia facerent, atomorum congregatione omnia generant, disgregatione uero corrumpunt alterationem, autem positionem & ordinem illorum consequi putant. De incremento etiam quo pacto fiat minime definiuerunt, an scilicet per meatus aditio fiat, an uero corpore per corpus permeante Etenim Democritus & Leucippus cum uerum in apparentia saluarent, atq. unum quodq. vt apparet, sic etiam esse profiterentur. cum Protagora, quemadmodum libro xi. Metaphy. docuimus: contraria uero atq. infinita essent, quæ nobis apparent, figuras idcirco infinitas fecerunt, ita ut figuris & numero indiuisibilia corpora infinita essent, quorum mutatione secundum ordinem aut positionem alteratio in naturalibus corporibus contingeret. atq. ut multi colores in eodem corpore appareant, quemadmodum in colo columbę ad Solem experimur, in quo viridis, fuluus, & niger apparent. quare in mutatione partium, quæ totum aliquod componunt, aut secundum ordinem aut secundum situm, cum totum ipsum mutetur, ut in littera N quæ transposita in Z mutatur, videtur alteratio mutationem ordinem dum positionem consequi, quemadmodum etiam mutationem secundum ordinem sequitur, quoniã ex eisdem rebus mutatis Comedia & Tragedia originem habeãt.

quod

quod quidem etiã syllaba addita aut ablata in dictionibus, contingere solet, quoniã particula impossibili si addatur, negationẽ facit, si vero ab eo auferatur, affid
6 mationem efficit. Cum ergo ex his constet, ferè oẽs Antiquos discrimen aliquo facere inter generationem atq. alterationẽ, Democritum videlicet et Leucippũ cum Anaxagora et Empedocle, qui alio modo generãt, alia vero alterant, operepretium est, vt de ipsa generatione atq. alteratione disseramus atq. vt diligenter perpendamus, an fieri possit, vt generatio cõgregatio sit, alteratio vero mutatio ordinis, aut situs ipsorum atomorum. Ad vtramq. enim Problematis partem rationes cogẽtes adferri posse videntur. primum autem si quispiam affirmauerit, ipsam generationem uihil aliud fore, quàm congregationem, multa impossibilia euenient, propterea quòd erit necessarium passiones a corporibus auferre, secundum quas mutari videntur, nec non ipsam continuitatem, deinde verò vt partes corporum sint indiuisibiles, ad quæ alia sequuntur incommoda & lib. 6. phy. 3. Cœli enumerata. Si vero quispiam negauerit, generationẽ congregationem esse, erit difficile, discrimen illius ab alteratione saluare, nec non ipsam generationẽ
7 dari, aut si extiterit, illã potius alterationẽ esse, quàm generationem. At cũ difficilimum sit materiã propositam determinare, nisi aliud primũ discutere properemus, principium totius disputationis hinc sumere oportet. An quæ generãtur & corrumpuntur, nec non quæ alterantur augentur et diminuuntur, ex magnitudinibus indiuisibilibus, an vero ex diuisibilibus secundum huiusmodi mutationes mutari dicãtur. Et si ex indiuisibilibus, vtrũ ipse magnitudines indiuisibiles sint corpora, an vero superficies: Etenim Antiqui, qui naturaliter loquebãtur, de principijs rerum, quę generantur et corrumpuntur, cum valde interse dissentiant, quẽadmodum libro primo. Physicarũ auscultationum docuimus, a discussione horum problematum exordiri oportet, plurimum enim reffert, aut hoc aut illud facere principium corporum, quæ generantur, hoc est aut secundum Platonem ex superficiebas omnia facere, aut secũdum Democritum ex indiuisibilibus corporibus. Irrationabile tamen est cum Platone ex planis corpora generare, quemadmodum lib. 3. Cœli part. 5. demonstrauimus. qua re si altera harum opinionum recipi potest, rationi cõsentaneum magis erit, ex indiuisibilibus corporibus cum Democrito omnia facere. quoniam Plato cum magis in mathematicis versatus esset, quàm in naturalibus disciplinis, Democritus autem magis in naturalibus, ea visus est ponere principia, quibus non solum ipsam generationem, sed etiam alterationẽ saluare potest. quod Plato suis principijs præstare minime videtur, quoniam ex planis solida solum generat, passionem vero aliquam ex ipsis non generat, secundum quam alteratio rebus cõtingere solet. quam Democritus saluare nititur, ordinis & situs mutatione atomorum, ex quibus corpora generat. Esse autem magis rationabilem Democriti & Leucippi sententiam, facile quispiam intelliget, si primum cognouerit, quantum inter se differant, qui de vna
8 & eadẽ re proposita rationibus logicis atq. naturalibus agunt. Plato enim cum

ratio-

rationibus et fundamẽtis mathematicis vtatur, logice de generatione rerũ disse rere videtur, quoniã non vtatur propriis principijs, sed communibus, quæ alterius sciẽtię potius, quàm naturalis existunt. Etenim ipsa corpora ex planis indiuisibilibus constare, iccirco ostendit, quoniã si essent diuisibiles ipsę superficies, tunc sequeretur omnem magnitudinem diuisibilem fore. et ex consequenti ipsum triangulum, qui est prima figurarum multa esse, atq. diuisibilem, quod est impossibile, cum prima sit figurarum: si ergo per se triangulus diuisibilis non est, omnis figura nequaquam diuisibilis erit, quod si ita sit, erunt quędam indiuidue magnitudines inquit Plato: cuius sententiam in lib. de Cœlo ita reprobauimus. Nam si ex superficiebus corpora constarent, iam ex non corpore factum contingeret esse corpus, quod est impossibile, cui alterum succedit incõmodum, nullum corpus grauitatem aut leuitatem habere, quoniam impossibile sit, quòd duo cum congregantur, habeant grauitatem, quam priusquàm congregarentur, non habebant, superficies enim secundum Platonem ante generationem elementorũ, cum nullam grauitatem habeant, mirum est, quomodo nam in terra grauitatem suscipiant: non habere autem superficies seu plana grauitatem, manifestũ est, cum in puncta resoluantur, quæ omnino grauitate & leuitate orbata sunt. Si enim illis predita essent, iam quanta atq. diuisibilia non autem indiuisibilia fore, dicerẽtur. Amplius si corpus ex superficiebus fieri potest, aut continuatione superficierum suprapositarum, aut additione extremi vnius extremo alterius, ipsum corpus resultabit. secũdum priorem modum corpus resultare nequit, sed solum superficies, secundum alterum autem si fieret, sequeretur quòd hoc pacto fit, neq. elemẽtum esse, neq. ex elementis constitutum. postremo autem sequeretur ipsum corpus in puncta dissolui, quia superficies in lineas, & linee in puncta resoluuntur: quod si daretur, aliquo in tempore fieri posset, vt nihil preter pũcta reperiretur, quod perinde est, ac si quispiam ex instãtibus tempus ipsum cõponat cum pytagoricis, qui Mundum & cetera naturalia corpora ex numeris cõponunt, quoniã ad vnitates resolui debeant, quæ nec grauitatẽ nec leuitatem habent, cum sint indiuisibiles. Nec defendi vllo modo potest Platonis sententia, etiam si dixerimus, per superficies illum trinam dimensionẽ intelligere, quæ in prima materia corpus arguit, quoniam per superficies substantiam, non autem accidẽtia Plato intellexit, in quorum genere trina dimensio continetur. Minus pręterea defendi potest, si Ideam trianguli per triangulum illum audire voluerimus, aut triãgulum in alias figuras nequaquam diuidi, cum sit prima figurarum, quoniam triangulus, qui a Mathematico consideratur, quum magnitudo sit, non autem magnitudinis ratio, & si in priorem figuram resolui nequeat, in lineas tamen dissolui potest, et linee in puncta, quare omnino cogitur ad hoc Plato, ad puncta fieri vltimam corporis resolutionem: quod quidem valde absurdum est, cum nulla magnitudo ex punctis constare valeat, propterea quòd omni careant quantitate. Democritus autem naturalia principia assumit, cum tali vtatur principio: omne corpus continuum

diuisi-

diuisibile in infinitum esse, quod si fuerit possibile, ponatur in esse, nullũ accidet impossibile, siue hoc simul fiat, siue successiue in infinitum fuerit diuisum, vel secundum mediũ, vel secundũ quamcunq. particulã, quæ totius diuisionẽ sequitur, quod ita esse ostẽditur. quoniã si in decem millia decies milies diuisa fuerint, et si sit falsum, nullũ tamen sequitur impossibile, hoc enim asserere & si sit falsum, videtur tamen falsum quoddam possibile: quod etiã si actu ponatur, nullum sequitur impossibile: granum enim sinapis aut tritici & si actu in decem mille particulas diuidere nemo valeat, hoc tamen naturam possibilis nequaquam tollit, & si sit falsum: constituto igitur hoc principio, quòd omne corpus continuũ in infinitum sit diuisibile, ponamus quòd actu sit diuisum, tunc hoc pacto Democritus ratiocinatur, vel diuisio hæc terminabitur ad aliquid. vel ad nihil, non est dicendum illam ad nihil procedere, quoniam diuisio totius cum sit ad partes, ex quibus constitutum est, nihil autem ex nihilo fieri contingat, ad nihil minime fieri poterit diuisio eius, quod aliquid existit, quod si ita res hæc se habeat, opus erit corporis, quod vere est, diuisionem ad aliquid terminari: tunc hoc aliquid quod magnitudo est, vel erit diuisibile vel indiuisibile, non est dicendum quod sit diuisibile, quoniam sequeretur. actu minime diuisum esse, cum adhuc relicta sit potestas diuidendi, relinquitur ergo necessarium esse, vt sit indiuisibilis magnitudo, ad quam diuisio actu terminatur: quod si ita fuerit, cogimur ad magnitudines indiuisibiles descendere, quas aut corpora, aut lineas, aut superficies, aut puncta esse, dicere oportet, lineas autẽ aut superficies asserere, impossibile videtur, cum hæc secundum se constare nequeant, nec etiam puncta, cum omne careant magnitudine & quantitate, relinquitur ergo, magnitudines in quas diuiditur ipsum continuum, corpora esse, eaq. indiuisibilia ex fundamentis Democriti. non autem diuisibilia, quoniam adhuc remaneret aliquid non diuisum. cum actu facta esset continui diuisio in magnitudines, ex quibus est compositum. Ad magnitudines enim continui corporis diuisionem fieri, non autem ad puncta, ob duas potissimum causas necessarium est, in primis autem ne videatur, ipsum quãtum ex non quanto constare, aut ex nihilo ipsum compositum atq. vniuersum genita esse, solamq. apparentiam non autem existentiam aliquam habere, quod valde absurdum est: nulla enim existente magnitudine, ex qua corpus omne continuũ generetur, vel ex punctis quodcunq. facere, vel ex nihilo opus erit, quod si daretur, incommodum antea allatum consequeretur. Ex punctis autem si magnitudo fieret, quantum ex non quanto constitui cum Democrito aperte demonstrabimus, si puncta quantitate penitus carere probauerimus, quod vno argumento facile ostendemus: etenim puncta si quanta essent, ad incrementum atq. decrementum magnitudinis conferrent, at nullo modo hoc prestare possunt, quoniam a magnitudine separata illam minorem minime reddant, nec maiorem, si illi addantur, quod quidem efficerent, si quantitate aliqua predita essent, cum ergo quantitate careant, corpus quod quantitate preditũ est, ex punctis produci nullo modo po-

terit, relinquitur. ergo ex magnitudinibus corpus omne cõtinuũ fieri, atq. in eas diuidi, quæ tamen indiuisibiles sint non autẽ diuisibiles, vt actu diuisio ipsa facta esse, videatur: naturalibus enim rationibus Democritus suam opinionem confirmare visus est, quæ si Platonis opinioni cõferatur, maiorem laudem meretur: quod si quispiam Democrito obiiciat, id quod a corpore in diuisione separatur, veluti ramentum esse, quod corpus cum sit, etiam diuisibile existit, ideo opus nequaquam esse, vt ad indiuisibilia descendamus, recte occurrere videbitur, minime vrgere, propterea qnòd nequaquam cõstet, quomodo nam ramẽtum sit diuisibile, quoniam si diuisibile fuerit, non erit actu facta diuisio, ita vt adhuc maneat in diuisione continui corporis processum fieri ac corpora indiuisibilia. Nec etiam dicere quispiam potest, ipsum ramentum corpus non esse, sed potius formã aliquam siue passionem, quoniam adhuc incommodum illud sequetur, ex non magnitudinibus ipsam magnitudinem fieri: etenim huiusmodi passiones siue separabiles, siue inseparabiles dixerimus, absq. punctis esse non possunt, quia puncta illa sint, quæ ipsam partium diuisionẽ faciunt, quod si admittatur, adhuc eueniet ipsam magnitudinem ex nõ magnitudine & punctis constare, quod valde est absurdum, in prõptu enim rationes habemus, quæ nullam magnitudinem ex punctis resultare ostẽdunt, quarũ prima hæc est, quoniam puncta ex quibus magnitudo cõponitur aut mobilia aut immobilia erunt, mobilia autem esse minime possunt, quoniã aut sursum aut deorsum mouerẽtur, atq. aut ignis aut terra essent, quod sanè falsum existit. immobilia vero dicere nemo potest, quoniam congregatione minime vnirentur atq. alicuius corporis generationem facerent. Alia preterea incõmoda sequuntur, si puncta mobilia quispiam facere uoluerit, in primis enim dabitur aliquid moueri, quod corpus nequaquam sit, illudq. etiam loco moueri, quod est impossibile, siquidẽ incorporea et indimẽsa locale spatium occupare nequeant, quod si nõ occupant, ipsũ vacuũ necessario dabitur, quod minime in rerũ natura reperiri lib. 4. phy. auscultationum demõstrauimus. Altera vero ratio, quę nullã magnitudinẽ ex pũctis resultare ostẽdit est, quoniã nulla magnitudo cõtinua fieri potest ex partibus, quarũ tactus nõ est vnus, puncti autẽ ad punctum nullus est tactus, cum illa solum se tangere dicantur, in quibus est aliquid preter ipsum tactum, tactus enim cum duorum sit corporũ secundum illorum extrema, secundum quamcunq. partem minime sese tangere videntur, quare preter tactũ aliquid semper relinquitur, quod puncta prestare nequeunt, cum partibus careant. impossibile ergo est, ex punctis simul cõpositis aliquam magnitudinem resultare: in compositione autem cum non detur penetratio corporum, necessarium est, vt secundũ extrema solum sese tangant ipsius compositi particulę, non autem secundum quamcunq. partem. quemadmodum lib. 5. phy. part. 22. docuimus. vbi tangentia ea esse diximus, quorum vltima sunt simul, nemini igitur dubium esse debet, nullam ex punctis magnitudinem componi: non enim quemadmodum antea supposuimus, post ipsam diuisionem, si rursus componantur, magnitudinem

quantam

quantum causare possunt. si igitur in possibile est ex tactibus, aut ex punctis magnitudinem aliquam facere, necessarium est admittere cum Democrito corpora indiuisibilia, principia corporum esse, atq. magnitudines indiuisibiles: ad quas etiã multa accidũt impossibilia, quẽadmodũ li.6.phy.cap.1.& 3.cœli ostẽdimus cap.3. Nũc autẽ rationẽ, qua nitebatur Democritus, in precedẽti particula allatã, necessariũ est vt dissoluamus in qua principio quodã naturali vtebatur: omne videlicet corpus continuum esse in infinitũ diuisibile, in semper diuisibilia, quod quidem prestare erit facillimũ, si equiuocationem, quę in eo latet indicauerimus, etenim omne corpus sensibile in infinitum diuisionem admittere, aut actu aut potestate intelligi potest, ita vt nõ sit absurdum, corpus ipsum continuum secundum quodcunq. signum in infinitum esse diuisibile atq. indiuisibile, potestate enim est diuisibile, actu vero indiuisibile, si potestate duobus etiã modis diuisibile dicitur, quoniã vel erit simul secundũ quãlibet partẽ continuũ corpus partibile, vel successiue, simul autẽ ut diuidatur est impossibile, quoniã si simul secũdũ unũ quodq. punctũ esset diuisũ, sequeretur aut actu diuisum esse in pũcta infinita, ad quod infinitũ in actu sequitur, quod est impossibile, quemadmodum lib.3.phy.& 1.cæli docuimus, aut in nihil diuisum esse, quod etiã est impossibile, cum id quod aliquid est ex nihilo factum non sit. Nam cum impossibile sit omniquaq. actu corpus continuũ diuisum esse, videtur similiter impossibile, vt potentia simul secundum quancunq. partem vt sit diuisum, quoniam si impossibile sequatur ei, quod actu supponitur, videtur potestate prius esse non potuisse, actu vero quòd nullo modo in infinitum sit diuisibile secundum omnem partem simul, ex dictis absurdis etiam cõstare videtur, certum enim est, si hoc fieret, infinitum in actu dari, quod quidem omnino est impossibile. Amplius autem cum videamus, id quod diuiditur in separabiles minoresq. magnitudines, semper secari, quia inter duo puncta mediam magnitudinem reperiri sit necessarium, cum punctum non cohereat puncto, nulli dubium extare debet, actu diuisionem continui secundum omne signum simul nequaquam dari, successiue autem etiam illam non fieri patet, quoniam aliquando ipsam diuisionẽ terminari contingeret. relinquitur. ergo potestate & successiue, nõ autẽ simul secundum quodcunq. signum, corporis continui sectionem fieri, quoniam semper in ipso vt ita dixerim actu diuidendi, in partibus potestas quedã relinquatur, vt diuidi adhuc valeant, si enim simul omnium fieret diuisio, actu earum diuisio daretur. quod lineæ etiam cõtingere dicitur, quę potestate in puncta in infinitum est diuisibilis, non autem actu cum puncta in linea potestate existant, non autem actu, actu igitur linea in puncta nequaquam diuiditur, quoniam necessarium esset deuenire ad puncta in actu, quę sunt indiuisibilia, itaq. partes continui in toto continuo, cum sint potestate, illius etiam diuisio potestate & successiue in infinitum procedit, non autem actu: ita vt secundum hunc modum, ad magnitudines siue puncta descendere, minime cogamur, quę indiuisibilia sunt. sed ad magnitudines diuisibiles, cum diuisio totius non fiat simul, sed successiue, cum semper

aliquam partẽ corporis continui sit accipere, quam diuidamus. omne igitur continuum esse diuisibile in infinitum in semper diuisibilia, potestate & successiue verum quidem est, actu autem & simul nequaquam: duplex enim possibile datur quemadmodum 12. Metaphysi. particula 41. docuimus, alterum potentia alterum actu, motus enim cœli potest corrumpi secundum potentiam, quia quelibet reuolutio terminum habet, secundum actum autem non est possibile, vt corrumpatur, quoniam totum esse perire contingeret; quare possibilitas in continuo vt diuidatur in infinitum est secundum ipsam potestatem, secundum actum verò uequaquam, quoniam infinitum in actu daretur, quod est impossibile, erit igitur ipsum continuum secundum quodcunq. signum potestate & successiue partibile, non autem simul, quoniam si hoc pacto diuidatur, non ibit in infinitas partes actu ipsa diuisio, veluti 6. Physicorum ostendimus, continuum dici in infinitum partibile, non quia simul totum in actu diuidatur, sed quia successiue, non quod infinite partes actu diuise subsistant, sed quoniam ea, quæ diuiduntur, semper cum ipsa diuisione potestatem admixtam habeant ad ipsam diuisionem, quoniam in continno semper habeantur partes quæ secari possunt, ita vt nunquam possit cessare ipsa diuisio, quemadmodum dicimus nnmerum in infinitum augeri, eo quòd non deficiat ipsius augmentum, quocunq. enim numero accepto, semper possumus alium numerum adiungere. Iam igitur constare debet, quomodo nam corpus continuum dicatur in infinitum diuisibile, ita vt ad indiuisibiles magnitudines cum Democrito, aut ad puncta non sit necessarium diuisionem continui fieri, cum semper magnitudines relinquantur, quæ aptitudinem habent, vt diuidantur, quod si Democritus intellexisset, paralogismũ minime commisisset, cum de principijs rerum, quæ generãtur, loqueretur: videtur etiam hoc modo corpora mathematica diuisionem admittere, quoniam in materia quemadmodum naturalia esse habeant, & si ratione seu mente ab illa separentur. Nec vrget si pro Democrito quispiam dixerit, etiam secũdum hoc significatum necessarium esse, vt ad indiuisibilia descendamus in sectione corporis continui, quoniam frustra sit illa potentia, quæ ad actum non deducitur, quod etiam fieri potest, si quispiam concesserit generationem congregatione, corruptionem vero segregatione fieri. Nam facile dissolui poterit, si dicamus, eam potentiam, quæ ad formam refertur, necessarium quidem esse, vt ad actum deducatur, eam verò, quæ potius in partibus continuationem quãdam denotat, necesse non esse, continuum itaq. dicitur potentia diuisibile, hoc est successione quadam, quod autem de congregatione & segregatione dictum est, necessarium nequaquam est, quoniam hoc modo ortum atq. interitũ minime contingere, posterius demonstrabimus. a materia enim habet omne continuum vt sit in infinitum diuisibile, quoniam materia, quæ actu est, non caret definita quantitate: Cum igitur ambiguitatem, quæ in principio latebat, Democritus ignoraret, paralogismum commisit, cum ratiocinabatur, quod nobis minime vitio verti poterit, qui non actu, sed

potestate

poteſtate omne corpus ſenſibile, eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia docuimus. Democritum autem cum lateret, in magnitudine continua punctum puncto non cohærere, quoniam puncta ſe inuicem non tãgunt, fuit coactus paralogizare, quod nobis minime contigit, quoniam magnitudinẽ eſſe in infinitum diuiſibilem, ſecundum quodcunq. ſignum, & ſimul eſt impoſſibile, ſecundum vero magnitudines per ſe exiſtentes, quæ inuicem cohereant, ſucceſſiue, eſt quidem poſſibile, ita vt ſecundum alterum modum diuiſibile dicatur, ſecundũ alterum vero indiuiſibile: ne igitur in diuiſione continui ad puncta deſcẽderet Democritus, ad corpora indiuiſibilia, ſectionem cõtinui corporis procedere voluit, actu & ſimul ſecundum quodlibet ſignũ, quod tamen eſt impoſſibile, quoniam ſi actu & ſimul omniquaq, eſſet diuiſum, ipſum continuum. ſequeretur, vbiq. & omniquaq. punctum actu eſſe, atq. ipſam magnitudinem ad nihil tandem diuiſam eſſe, quod eſt impoſſibile, quoniam opus eſſet, aut ex punctis magnitudinẽ conſtare, aut ex tactibus quemadmodum Plato ſentire videbatur, quod penitus eſt falſum, quæ quidem hunc in modum ſe habere facilius aſſequemur, ſi docuerimus, quomodo nam contingat punctum vbiq. in linea reperiri, etenim cum aut ſecundũ poteſtatẽ, aut ſecundũ actum hoc intelligi poſſit, actu vt punctũ ſit in linea. eſt impoſſibile, quoniã vnus tantũ actu punctus in linea reperitur, plures autẽ non niſi potẽtia, quẽadmodũ libro octauo phyſi. partic. 65. oſtendimus, punctũ enim quod eſt finis magnitudinis, dicitur actu in linea eſſe, quæ vero inter principiũ et finem ſunt non niſi poteſtate, nam cum per ſe ſtare nequeãt, nec ſit punctum puncto cõtinguum, poteſtate ſolum in linea eſſe dicũtur, quod modo huiuſmodi argumẽto indicari facile poteſt, quoniam ſi linea ſecundum medium punctum diuiſibilis eſt, erit quinetiã ſecundum punctum medio puncto proximum diuiſibilis, quod tamen fieri nullo modo poteſt, cum punctum in actu diuiſionem minime ſuſcipiat, propterea quòd nullam habeat quantitatem: linea igitur per punctum nequaquam diuiditur, ſed per medium, et illud medium in alias medietates, per ſe exiſtẽtes, & quæ adinuicem erant cõtigue, non igitur recte Democritus exiſtimabat, corpus continuum ad puncta ſecari, cum in magnitudine cõtinua actu nequaquã exiſtãt, nec ſit punctum puncto contiguum, propterea quòd ſequeretur magnitudinem nihil aliud eſſe, quam compoſitionem atq. diuiſionem ipſam. quare & ſi congregationẽ generationẽ, ſegregationẽ vero corruptionem fieri cõceſſerimus, ob id tamen in diuiſione corporis cõtinui, non eſt neceſſarium ad indiuiſibilia corpora deſcendere, ex quibus veluti principijs corpora omnia fieri dicãtur, quoniã diuiſio ſecundum vnũ quodq. punctũ minime fit, cum punctum puncto non ſit contiguum, ſed ſemper ad minores magnitudines, quæ ſunt partes totius magnitudinis, quam diuidimus, quare ex magnitudinibus diuiſibilibus & per ſe exiſtẽtibus corpora omnia oriri, neceſſarium eſt & ſi congregationem atq. ſegregationem admiſerimus. At non eſt ſimplex & perfecta generatio congregatione & ſegregatione determinata, veluti quidam Antiquorum inquiunt quos antea enumerauimus,

mus, nec etiam uerum est id, quod de alteratione in medium attulerũt, illam uide licet nihil aliud esse, quàm transmutationem in continuo: si enim hoc non esse alterationem indicauerimus, etiã patebit, generationẽ simpliciter non esse cõgregationem. Quod autem de alteratione dicitur, cum generationi simplici potius cõpetere videatur, illam congregationem nequaquam esse declarat, etenim simplex generatio nihil aliud esse dicitur, quàm mutatio facta in continuo, quoniam tunc generatio esse fertur, quãdo hoc in hoc mutatum fuerit, hoc est cum fit mutatio vnius in alterum: simplex enim generatio est vnius ex uno, veluti cum ex aere generatur ignis, ex pluribus autem cum totum quoddam fit, mistura potius quàm generatio simplex nuncupatur, quare congregatio cum sit multorũ simul coeuntium, mistura potius quædam fuerit, quàm generatio. Non recte igitur sentiunt, qui hanc mutationem in continuo, alterationem esse existimauerunt, cum valde generatio atq. alteratio inter se differant, cum generatio sit inter materiam & formam quæ sunt substantiæ, alteratio verò ad passiones & accidentia: mutatio itaq. cum fit in materia ad formam, generatio est, cum autem ad accidentia alteratio existit, ex quo accidit, vt generatio aliud faciat, alteratio vero alterũ, videtur autem congregatio quodãmodo ad ipsam generationem conferre, quoniã vt in lib. meteorologicis docuimus, quæ difficillime congregantur, difficillime generantur, & que non facile segregantur, non facile corrumpuntur.

CAPVT TERTIVM, QVAE SIMPLICITER, QVAEVE Secundum quid, aut Secundum partem generatio, atque corruptio dicenda sit & cur vtraq. perpetuo duret.

ANTIQVORVM placitis expensis, quæ nobis negotium facere poterant, ne verã doctrinã generationis simpliciter atq. alterationis assequeremur, operepretium est, in primis ut definiamus alterum problema eorum, quæ antea proposuimus, quorum primum ad esse generationis simpliciter pertinebat, querendum igitur est, vtrum sit aliquid quod simpliciter generetur, & corrumpatur, an proprie hoc est simpliciter nihil generetur & corrumpatur, sed tantum secundum quid, vt cum dicimus ex laborante hoc est egrotante fieri sanum, & ex sano ægrum. nec non paruum ex magno, & econtra quod perinde est, acsi queramus vtrum generatio sit ipsarum substantiarum, an uero ipsorum accidentium, quæ in substantijs esse suum habent: etenim cum de generatione simpliciter in vniuersum disserere, nobis propositum sit, ab hoc problemate tractatio ipsa exigit ut exordiamur, quoniam si sensum sequamur, videatur rerum omnium generatio potius secundum quid, quàm simpliciter esse. cum uero nihil de ipsa generatione simpliciter haberi ualeat, nisi primum an ipsa sit intelligamus, iccirco querendum hoc loco est, an generatio sit substantiarum, an vero solum ipsorum accidentium, Non enim desunt rationes, quæ illam de medio tollere uidentur, quemadmodum hæc est, quoniam si quidpiam simpliciter generari contingat, necessarium erit

erit ex non ente simpliciter generari, quod si fuerit, erit ipsa generatio ex nihilo, quod est impossibile: ipsum autem simpliciter duobus modis cum dicatur, aut primum in vnoquoq. predicamento, hoc est vniuersale, & comune genus ex predicamento, aut comune & vniuersale omnibus predicamentis, secundum vtrunq. modum si ex non ente simpliciter dicamus generationem simpliciter insurgere, videbitur ex nihilo id, quod simpliciter generatur, cuiusmodi est substantia generari, quoniam si dixerimus generari ex non ente, quod ad substantiam minime reducitur, cum substantia sublata, cætera predicamenta tollantur, erit omnino substantiæ generatio ex nihilo, si autem dixerimus ex non ente, quod omnia circuit predicamenta, substantiæ generationem esse, certũ etiam est, generationem hanc ex omnino non ente cõstare: cum ergo omne quod producitur, aut simplici aut secundum quid generatione, ex sua negatione producatur. dubium est, quomodo nam, possit introduci generatio ipsa simpliciter dicta: videtur enim ratio hæc eadem esse cum ea, quã ex Antiquis accepimus libro primo phy. quoniam omne quod generatur, aut ex ente, aut ex non ente generatur, non ex ente, quoniam sequeretur, id quod generatur, ante eius generationem esse, nec etiã ex nõ ente, quoniam aliquid ex nihilo fieret, quod valde Antiqui omnes timuerunt: hæc enim est ratio precipua, quę generationem simpliciter auferre videtur, quam ita dissoluimus: Nam cum inter ens & non ens medium quoddã sit, quod partim est ens, partim vero non ens, generatio simpliciter saluari potest, quoniam verũ est dicere, id quod generatur, nec ex eo quod omnino est ens, nec omnino nõ ens fieri sed ex eo quod partim est, partim vero non est, hoc est ex eo quod actu non est, potentia verò esse putatur, etenim generatio cum sit mutatio a, non esse ad esse, priuationẽ habet, quę dicitur terminus a quo, & formã illi oppositam, quæ terminus ad quem vocatur, ita vt materia, quæ vtriq. termino subijcitur, illa sit, ex qua id quod producitur, fieri dicitur ex eo quod partim est ens, partim verò non ens, quoniam in materia prima semper est priuatio, quæ sola ratione ab ea distinguitur, quæ non ens significat, cum ob priuationem materia prima dicatur actu non esse, id quod generatur, sed tantum potestate ratione potentiæ, quæ est propria essentia ipsius primæ materiæ, quæ est subiectũ primum rerum omnium,
12 quæ natura generãtur. Suboritur tamen aduersus solutionem allatam dubitatio quædam, quomodo nam verum sit, quòd ex eo quod est ens potestate, generatio simpliciter efficiatur. quoniam hoc ens potestate, quod substãtiam esse volumus, aut participabit actu cæterorum predicamentorum, aut nullo, si nullo participauerit, tale adhuc erit omnino non ens, atq. ex nihilo rerum generatio constabit, si vero participauerit actu aliorum predicamentorum, tunc uidebuntur passiones a, suis subiectis separate subsistere, quoniam ens potestate minime sit proprium illarum subiectũ, sed ens, quod actu subsistit; quod quidem est absurdum, cum passiones quę accidentia sunt, per se subsistere nequeant, cum eorum esse sit inesse, quemadmodum in Metaphy. docuimus, cum ergo nõ possit ex ente potesta-

te

te quod omni actu sit priuatum generatio fieri, generatio simpliciter introduci
13 nequaquã poterit. De his igitur exacte nobis hoc loco disserẽdum est, vt omnem dubitationem tollamus, quæ generationem simpliciter euertere potest, quòd facile assequemur, si prius causam attulerimus, ob quam videamus incessabilem atq. continuam rerum omnium generationem esse, vbi enim id cognouerimus, apparebit, quomodo nam ex ipso ente potestate generatio dicatur simpliciter fieri: etenim generatio vnius cum sit corruptio alterius, iccirco efficitur, vt nun-
14 quam rerum generatio deficiat; Propter quid autem contingat, generationem perennem esse, cum duę potissimum causæ esse dicantur, efficiens et materia, de materiali nunc nobis est dicendum, quoniam de effectiua libro octauo. Phy. copiose disseruimus, in quo de duplici mouente sermonem habuimus, quorum alterum semper est immobile, cum sit primum mouens, & primum principium, de quo quid nam sit, definire, ad primum phylosophum pertinet, alterum vero est corpus ipsum cæleste, quod non solum mouet, verumetiam cõtinue mouetur, de quo secundo libro huius operis nobis est disserendum. Nunc autem de materiali expedit vt agamus, quod cum sit causa multitudinis indiuiduorum, efficit, vt nunquam secundum speciem deficiat, atq. de futura sit omnium singularium generatio. Materia enim prima potentia existens contrariorum susceptiua, sempiterna cum sit, successiue recipiens contraria, causa est, quòd nunquam deficiat generatio & corruptio: præterea cum generatio & corruptio videantur esse circa possibile esse & non esse, horum autem causa sit materia prima, causa perennitatis harum mutationum erit, quæ in naturalibus corporibus caducis ma-
15 xime spectantur: De hac itaq. causa modo dicendum est, ob quam nunquam generatio & corruptio deficiunt, quoniam si hoc assequi possumus, id de quo dubitauimus, manifestũ euadet, quo nam videlicet pacto de simplici generatione et corruptione dicere oporteat, cum illã ex ente potestate fieri volumus: quod sanè facile prestabimus, si dubitationẽ quandã huic negotio accomodatã proposueri-
16 mus: Mirũ enim videtur, quomodonã possit rerũ generatio perpetuari, cũ videmus id quod corrumpitur, in non ens abire, quod est nihil, propterea quòd neq. hoc aliquid, hoc est substantiam significet, cum nihil sit eius quod interijt, neq. etiam sit quantum, aut quale, neq. aliquod cæterorum prędicamentorum: si ergo emper aliquod entium successiue recedit, quoniam orta quæcunq. occidere oporteat, ab vniuerso semper aliquid tollitur, quod cum sit finitum, tanto tempore, iam entia omnia ad nihilum redacta esse deberent, atq. nihil in vniuersitate rerum reperiri: esse autem ipsum vniuersum seu ens finitum, lib. physico. primo copiose demonstrauimus, cum infinitum actu dari omnino sit impossibile, potentia enim ostensum est esse, quoniam sectio continui in infinitum secundum potentiam sit possibilis, non autem secundum actum, hanc igitur diuisionem cõtinui in infinitum secundum potentiam, solum manere atq. nunquam deficere oportet, non autem eam, quæ est ipsorũ singularium, aliquando deficere necessarium erit,

quoniam

quoniam entis ablatione vniuersum semper minus reddetur, ita vt futurum sit aliquando, vt nihil entis remaneat, cũ sit finitũ, atq. vt rerũ singulariũ generatio deficiat. minore enim ipso vniverso reddito, pauciora erunt, ea quę generãtur, cũ autem procedat generatio, opus erit aliquando, nihil ipsius vniuersi remanere,
17 quare omnino necessarium est, vt generatio ipsa futuro tempore deficiat. Dubitatio autem quam attulimus, facillime tollitur: videtur enim & si ipsum vniuersum finitum sit, iccirco perennis esse rerum omnium generatio, quoniam corruptio minime ad ipsum nihil procedat, sed ad aliquid, cuius rei hoc est argumẽtum, quòd corruptionem vnius generatio alterius sequatur, cum ergo homo corrumpitur, & si in non hominem abeat, nihilominus tamen ad nihil minime corrumpitur. sed in aliud ensabit, ex quo alterius generatio insurgit, ens autem in quod simplici corruptione omnia desinunt, est prima materia, quæ est ens potestate, quod successiue formas rerum omnium aptum est suscipere, cum sit subiectum ipsorum contrariorum. cum autem materia hæc semper maneat, non potest rerum generatio perire: semper enim in his, quæ contrarietatem habent, verum est dicere, generationem vnius corruptionem alterius esse, & econtra, quoniam alterum contrarium presente materia semper maneat. alterum vero intereat, quod in elementorum generatione maxime est conspicuum, in qua vnum tantum in generatione vnius corrumpitur, in compositorum autem generatione et si etiam uerum sit corruptionem vnius generationẽ alterius esse, videntur tamen plura in unius generatione corrumpi, si materiam mixti propriam considerauerimus, si autem ipsam formam siue esse animati acceperimus, cum in corruptione illius forma cadaueris producatur, erit similiter verum in substantijs compositis, generationem vnius esse corruptionem alterius, in ipsis antem accidentibus, an hoc verum sit, dubitationem aliquam habet, quòniam album non sequatur nigri interitum, sed potius uideatur ipsum album fieri ex non albo: cum ergo materiam primã rebus omnibus subesse sit necessarium, iccirco contingit, rerum omnium generationem perpetuam esse, est enim ens potestate, quod nullum est actu ceterorum predicamentorum secundum primam significationem, nihilominus tamen est ens actu per se subsistens, quod potentiam habet, ob priuationem omnium formarum illi coeternam, ita vt non sit nihil, nec etiam hoc ente supposito, eueniet passiones seorsum subsistere, quoniam etiam matetia prima ipsorum accidentium subiectum esse dicatur: fit igitur omne quod fit ex non ente actu, quod tamen est ens potestate, ex quo omnia cum forma fieri possunt, si enim ens actu esset, ex duobus entibus in actu aliquod tertium fieri sequeretur, & perse existẽs, quod est impos-
18 sibile, quemadmodum lib. 7. Metaphy. docuimus. At res hæc tantam difficultatem habet, ut adhuc vna dubitatio insurgat. Mirum enim est, cum generatio vnius alterius sit corruptio, cur uno & eodemmodo omnia non generentur, sed quædam simpliciter, quædam uerò secundum quid fieri dicantur, solemus enim dicere in ijs, quæ generãtur, non solum hoc fieri, sed etiam hoc aliquid fieri, cum

enim dicimus hominem fieri, dicimus aliquid simpliciter fieri, cum autem hominem musicum fieri, potius hoc aliquid dicimus fieri, si ergo vna & eadem est causa generationis, mirum profectò est, cur non sit vnus & idem modus, quo omnes substantiæ producantur: videtur autem hoc substantijs euenire, ob tres potissimum causas, quarum priorem Parmenidis sectatores inuexerunt, substantiarum enim quædam cum rationem materiæ habere videantur, alie vero, ipsius formę, materiales ut ita dixerim, non entis nomine nuncupabant, formales autem entia appellabant, ut in elementis, qui terram & ignem principia constituebāt, terram quæ materiam potius refert, non ens, ignem autem, qui formam magis prefefert, ens vocabāt, quare ignis generationem ex terra simpliciter generationem esse putabant, terræ autem ex igne generationem secundum quid, & secundum hunc modum si quispiam elementorum generationem secundum quid dixerit, mistorū autem simpliciter non abberrabit, quoniā cōpositum cum rationem totius habeat, si elementis ex quibus componitur conferatur, formam significat, elementa uerò, quę sunt illius partes ipsam materiam. Alia vero causa a, quadam diuersitate. quę in ipsis substantijs apparet, sumitur, substantiarum enim alie cum magis substantiæ, atque digniores videantur, quoniam alie actiuis alie uero passiuis qualitatibus sint determinate, quod in elemenis est conspicuum, quæ qualitatibus actiuis formata sunt, magis substantie fore dicuntur, quę verò passiuis minus substantie nuncupantur, ita ut perfectiorum sit generatio simpliciter, aliarum vero secundum quid potius, in elemētis ergo generatio ignis et a quę, quę frigiditate et caliditate determinata sunt, cum has qualitates in summo habeant, erit generatio simpliciter, terrę autē & aeris, quę humidita-
19 tem & siccitatē in summo obtinuerunt, erit generatio secundū quid potius. Tertia vero causa, quę diuersam generationem in substātijs efficit, ab opinione quorundam ortū habuit, qui Herculei vocabātur, hi enim cum sensibus omnia iudicarent atq. alia magis apparerent, alia uero minus, eorum quę magis apparebāt, cum magis sensibilia essent, generationem simpliciter esse dicebant, cæterorum autem cum minus sensibilia forent, generationem secundum quid esse uolebant. Terrę ergo quę magis est sensibilis, erit generatio simpliciter, aeris autem secundum quid. cum tamen res ipsa in contrarium se habeat, quoniam minus sensibilium potius generatio simpliciter sit, ita vt hoc discrimen ab ipsa veritate non sit acceptum sed a, multorum intelligentia, qui aliquā opinionem sectantur. phylosophorum enim aliqui extiterunt, qui sensibilia entia tantum admittebant, atq. eorum scientiā esse, quę sentiri possunt, qui quidem et si aliquid uere dicere videantur, cum eius quod est scientiam esse oporteat, errāt tamen cum in solo sensu scientiam ipsam constituāt, non autem in intellectu, cum intelligibilia sensibilibus magis sint scibilia: sensibilia enim solum occasionem prebent, vt intelligibilia qualia sunt vniuersalia, & separata intelligantur, quemadmodum in posterioribus analy. docuimus: nihil esse in intellectu, quod prius nō fuerit in sensu,

res

res non sunt estimandę sed ratione & mente, quare minus sensibilium potius erit generatio simpliciter, magis sensibilium generatio secundum quid, veluti terræ si aeri & spiritui conferatur. secundum ueritatem ergo falsa est illorum sententia, qui ea solum entia esse profitebantur, quæ sensibilia forent, propterea quod se ipsos esse & uiuere putarent, dum sentirent, aut sentire ualerent, tres autem differentias entium iccirco proposuimus, quoniam aliquid conferre viderentur, ut per obscuram quæstionem propositam nullo cum negocio disoluere ualeamus.

20 Videtur enim propter materiam varie affectam, aliquod esse in substantiarum generatione discrimen, ita vt quædam simpliciter generari putentur, quędam verò potius secundum quid, est enim materia causa, ob quam substantiarum quædā sint materiales, quędam uero magis formales, nec non quòd alie alijs sint perfectiores atq. quod alie magis sensibiles, alie vero minus existāt: materia si quidē quę sensibilis est, efficit, ut substantiarum quędam secundum quid generentur, materia autem non sensibilis, qualis est prima materia, vt quędam simpliciter generentur prestare dicitur, ex quo fit vt mistorum, quę ex sensibili materia producuntur, generatio secundum quid esse dicatur, elementorum autem simpliciter, quæ ex prima tantum materia & primis quattuor combinationibus possibilibus producuntur. in materiam igitur uarie, affectam, diuersitas, quę in substantiarum generatione apparet, est referēda, quod accidentium generatio indicat, si substantiarum generationi conferatur, nam cum accidentium materia sint ipsa singularia, secundum quid generationem habent, substantię vero quę non sunt in subiecto generationem simpliciter admittunt, in accidentibus etiā quodammodo potest hæc generationis diuersitas spectari, secundum aliquem modorum quos attulimus: Nam cum ex non sciente fit homo sciens, potest quidem simpliciter generatio appellari, si conferatur ei generationi, ex qua quispiam fit non sciens, proprie tamē & vere accidentibus simpliciter generatio accommodari non potest, quia discentem simpliciter generari nunquam dicimus, sed fieri scientem. quod autem pullulat, bene dicimus simpliciter fieri, vt cū planta germinat & assurgit, dicimus plantam generari, de sciente vero hominem scientem fieri dicimus, non autem simpliciter, de quo primo physic. auscultationum etiam hunc in modum differuimus. in par. 58. vbi dicitur, fieri ex alio aliud, et ex altero alterum, aut simplicia dicentes, aut composita, est enim fieri hominem musicum, est autem & non musicum, quippiam fieri musicum, aut non musicum hominē hominem musicum. simplex igitur dico quod factum est hominem & non musicum, compositum autem & quod fit & quod factum est. in vniuersum enim de substantijs siue corporibus tum simplicibus tum mistis difficultas est proposita: nā de substātijs & accidētibus hoc est de omni entis genere, quod alia simpliciter, alia autem secundum quid fiant, in phy. abunde est ostensum: entia enim omnia cum sint predicamentis determinata, quæ sunt in genere substantię, vere simpliciter fiunt, quæ autem in genere accidentis, secundum quid: hęc igitur talia esse vi-

 dentur,

dentur, ut intelligamus causam, ob quam substantiarum alie simplicem, alie verò compositam generationem admittant, atq. propter quid, generatio vnius sit corruptio alterius, & econtra: etenim cum subiectum siue materia, ad omnia contraria successiue sit mutabilis, non est mirum, si vno contrario corrupto, alterum semper recipiat, quod postmodum efficit, vt semper corruptionem vnius generatio alterius sequatur, & econtra, quod quidem in elementis maxime est
21 cõspicuum, in quibus statim fit mutatio ad materiam primam. Iam igitur non est dubitandum, & si statuerimus generationem simpliciter fieri ex non ente, & corruptionem similiter in non ens abire, quomodo fieri possit, ut semper quibusdam deperditis, generatio ipsa perpetuetur, quoniam subiectum utriusq. mutationis non est omnino non ens, sed materia prima, quæ est aliquo modo ens, & si ratione priuationis dicatur non ens, quod etiam ex Antiquis, illi nouerunt, qui sensibili & insensibili entia definiebant, mutationem ad sensibile generationem, ad insensibile verò corruptionem nuncupabant, quod tamen non omnino non ens esse putabant, Parmenides enim, qui terram & ignem principia rerum dixit, ignis generationem non ex non ente omnino fieri dixit, sed ex terra, quæ si conferatur igni, rationem non entis habet: in quo omnes Antiqui conueniunt, propterea quòd valde timuerunt, quippiam ex nihilo generare, in corruptione igitur non fit transitus ad nihil, sed ad non esse eius, quod fuit prius, non ad non esse simpliciter, quemadmodum in generatione non fit transitus, a, non esse, simpliciter ad esse, sed a, non esse eius, quod subijcitur factioni, generatio enim cum sit suppositorum & singularium, nec non corruptio illi opposita, fit transitus in generatione ad esse definitum, similiter in corruptione ad non esse huius & illius, quod quidem in materia prima, quæ priuationi est ad mixta locum habet. Nec negotium facere poterit, si quispiam iterum obiectionem huiusmodi interponat, quòd per insensibile cũ omnino non ens intelligant Antiqui, ad illud autem tẽdat corruptio, non posse saluari perennitatem ipsius generationis: Nam siue hoc insensibile existat, siue non, ad rationem nihil differt, quoniam semper id quod fit, ex tali fieri solet, in quod dissoluitur, igitur si corrupto ente generatur non ens, manifestum quòd ex non ente corrupto ens generatur. ita vt minime necessarium esse videatur, illud nihil non esse, ad quod corruptio eius, quod genitum est fieri solet. itaq. siue dicatur esse, siue non esse tale insensibile, adhuc saluatur circulus perpetuæ generationis, quoniam si fuerit de numero entium hoc insensibile, in quod est corruptio, & ex quo est generatio, generationem deficere est impossibile, si vero fuerit de numero non entium, quoniam corruptio non entis est generatio, generatio vero corruptio non entis, rursus non
22 deficiet succedentibus sibi inuicem ente & non ente. Quòd autem adhuc aliquam dubitationẽ reliquit est, quoniam non patet, quid nam sit hoc nõ ens, ad quod fit transitus in corruptione: etenim si Antiquorum placitis nitamur, alterum cõtrariorum esse videbitur, Parmenides enim calidũ & frigidum contraria

ria posuit, quòd si esset, multa sequerentur incõmoda, nam si per non ens alterum contrarium accipiamus, cum duorum alterum corrumpatur, non posset corruptionem vnius sequi generatio alterius, nam cum terra corrumpitur, nihil terræ remanet, quare ex terra non fit ignis, cum autẽ terræ corruptionem, ignis generationem consequi uideamus, ipsum non ens aliud est ab ipsis contrarijs, quare materiam primã esse opportebit, quæ ad cõtraria equaliter se habet, nisi maneret materia prima, non posset interitum vnius contrarij, sequi alterius cõtrarij ortus. quia nihil adesset, ex quo fieret, Cum autẽ materia prima, dicatur non ens, quia secum priuationẽ omniũ formarum habet, tale nõ ens ipsa erit, quæ etiam est ens, quia nunquam est illam absq. aliqua formarum reperire, substistit enim materia etiam secundum se, & si ex ea vt actu est nihil fiat, sed vt est ens quoddam potestate, actu enim vt in physicis dictũ est, non ens dicitur, potesta te vero ens, ita vt medium quoddam sit inter ens simpliciter, & non ens, simpliciter & omino. cum ergo hoc non ens materia ipsa sit, nullum dubium relinquitur, in perennitate ipsius generationis, quia semper corruptionem vnius sequetur generatio alterius, propterea quòd vnum sit vtriusq. mutationis subiectum, de quo præterea aliqua etiam est dubitatio, non enim videtur, quòd terræ & ignis una numero materia existat, cũ diuersa forma sit determinata materia ignis a materia ipsius terræ, similiter in corporibus cœlestibus atq. elementis, nõ videtur, quòd vna sit materia & eadem. vnam tamen esse in elementis mutua illorum mutatio indicat, mutatio enim quæ est vnius in alterum, non videtur procedere a, forma, sed a, materia. Dici tamen potest, secundum diuersos modos, tum vnam, tum vero diuersam esse, secundũ subiectum et numerum vna existit, quia aptitudinẽ naturalem habet vt omnia fiat, secundum rationem non est omnium eadem, quoniam alterius naturæ est in corporibus cœlestibus, alterius verò in elementis, alia enim ratione per quam existit in cœlo prædita est, alia autem in corporibus inferioribus, ita vt remotissima materia vna sit, omnium numero, propinqua vero, quæ semper aliquam formam secum habet, ratione diuersa sit, quoniam non eadem ratione diuersas formas susçipit, aliam enim dispositionem requirit, pro forma hominis, quam lapidis & ceterorum, quare secundum subiectum vna & eadem existit, non autem secundum ipsam rationem.

Caput quartum quo differant generatio atq. corruptio ab alteratione.

CVM nihil omissum fuerit, quòd generationem simpliciter vocatam dari, ostendat, operepretium est, vt quidditatem, hoc est definitionem eius, hoc capite tradamus, quæ quidem cum ab vtriusq. mutationis discrimine ortum habeat, facile id quod volumus assequemur, si primum id in quo discrepare censentur, in lucem uerimus, cum differẽtiæ rerumq. proprietates ille sint, quæ ad ipsum quod quid est conducunt, quemadmodum libri 2. de anima docuimus. Etenim propter

Antiquos,

Antiquos, qui eandem cum alteratione generationem facere videbantur, quomodo nam hæ duę mutationes inter se discreparent, ostendere polliciti sumus, propterea quòd si quispiam hoc ignoraret, minime fieri posset, vt simplicis generationis definitionem assequeremur. Differendum igitur est, in quo nam generatio simpliciter ab alteratione distinguatur, non enim quæ aduersus Antiquos antea proposuimus, sufficiunt, vt quid nam vtraq. sit assequamur: videntur autem ob duas potissimum causas abinuicem huiusmodi mutationes separari, quoniam non solum subiecto sed etiam terminis distinguantur, ad quos tendunt: Mutatio enim cum sit ad substãtiam & ad accidentia seu passiones, minime vna & eadem est mutatio, quæ in substantijs atq. passionibus spectatur, sed diuersa, nec non & materia, quæ vtriq. subijcitur. quoniam materia in mutatione ad passiones secundum se minime mutatur, sed tantum secundum ipsas passiones, in mutatione autem ad substantiam, fieri non potest, quin ipsum subiectum secundum substantiam non mutetur, cum nouam formam & speciem suscipiat, quare nihil aliud erit alteratio, quàm mutatio, in qua subiecto sensibili permanente, solum dicitur secundum passiones eius, quod mutatur mutatio, veluti contingere experimur, cum corpus humanum ex sano egrum euadit, generatio autem simpliciter tunc erit, quando subiecto sensibili mutato, aliquid ab eo diuersum generatur, veluti, cum semen in sanguinem mutatur, nec non aer in ignem, nihil enim quod actu tale esset manet, sed corrumpitur, vt nouum quidpiam, quod antea sensibile non erat, producatur: solum enim subiectum quod potentia est remanet, quod insensibile existit, cuiusmodi materia prima esse fertur, quæ tum in generatione, tum in corruptione substantiarum semper manet, quod in alteratione nequaquam accidit, in qua corpus, quod secundum passiones alteratur, actu & sensibiliter manet, parietis enim substantia cum dealbatur, minime mutatur, sed tantũ illius qualitas, in alteratione igitur cum subiectum proprium nomen, propriamq. rationem teneat, manere oportet, in generatione verò nequaquam, cum nomen et rationem mutet. Quidditas enim rerũ cum formam maxime sequatur, forma mutata, rationem similiter mutari oportet: Nec quamcumq. mutationem ad accidentia alterationem dicimus, quoniam si ad extranea, & ad cõmunes passiones aliquod corpus mutetur, vt a dextro ad sinistrum, aut ad naturam comunem, qualis est perspicuitas in aqua & aere, si alterum in alterum transeat, mutatio potius quædam esse dicitur, quàm alteratio proprie dicta, quam in sensibilibus tantum qualitatibus fieri lib. viij. phy. docuimus, nec ad quamcumq. qualitatis speciem, sed ad tertiam tantum per se alterationem esse, ad alias autem per accidens, alteratio siquidem a sanitate ad egritudinem, quæ in quarta specie qualitatis continentur, temperamenti mutationem sequatur, quod in tertia specie collocatur; ad eas igitur qualitates, quæ magis & minus suscipiunt, & quæ sunt patibiles, alteratio vere esse dicitur, quemadmodum lib. 5. phy. parti. 18. & 7. phy. parti. 16. ostendimus. Iam igitur

constare

constare debet, alterationem proprie dictam ab ipsa generatione simpliciter discrepare, quoniam alteratio ad patibiles sit qualitates, non autem ad substantiam, cum subiectum quod alteratur maneat, solum autem secundum accidentia mutetur, quod in generatione simpliciter minime accidit, in qua fit transitus ad formam substantialem, ita vt subiectum secundum totum mutetur, cum noua forma in prima materia introducatur, quæ ipsius mutationis subiectum dicitur.

24 Quod quidem hoc pacto se habere, ex his ostendi potest, quæ ex sententia quorundam Antiquorum protulimus, cum rerum sensibilium generationem ex insensibilibus facerent, ex sensibili enim si aliquod sensibile produceretur, generatio secundum quid, non autem simpliciter nuncuparetur: Nec aliquem turbare debet, si quispiam huiusmodi dubitationem proposuerit, ad ea, quæ de discrimine harum mutationum secundum materiam attulimus. Nullam secundum subiectum mutationem in generatione simpliciter fieri, ita vt nihil eius, quod sensibile sit maneat, quoniam in generatione aeris ex aqua, maneat perspicuitas, & humiditas, solum autem mutatio secundum calidum & frigidum esse videatur, quare adhuc secundum subiectum non discrepabit generatio simpliciter ab ipsa alteratione: Hæc dubitatio nullã profectó efficaciam habet, propterea quòd mutatio quæ fit a, frigido ad calidum, non est per se ipsius perspicui, sed per accidens, quoniam perspicuum aeri & aquæ inesse contigit, calidum ergo & frigidum si per se perspicui passiones essent, posset mutatio illarum alteratio appellari, quemadmodum dicitur esse in musici hominis mutatio in hominem musicũ, cum musicum & immusicum passiones quædam sint, per se homini inexistentes, quæ si per accidens homini inessent, mutatio ad illas generatio potius, quàm alteratio vocaretur; in his igitur quæ in inuicem mutantur, si aliqua comunis passio in generato & corrupto relinquatur, iccirco non est existimandum, hanc passionem alteri contrariorum inesse, quia mutatio illorum generatio non esset, sed potius alteratio, passio enim hæc communis inest materiæ, quæ in contraria mutatur: calidum ergo cum frigido, siue humidum potius, nõ sunt passiones perspicui, nisi secundum accidens, per se verò sunt ipsius materiæ, quemadmodum est ipsum perspicuum. Alio præterea modo dubitatio hæc dissolui potest, quoniã perspicuitas etsi videatur permanere, non tamen propria aeris & aquæ illa est, quæ manet. sed perspicuitas, quæ natura quædam comunis existit, alio enim modo affecta est in aere perspicuitas, alia verò in aqua, quemadmodum etiam est ipsa humiditas, quam vtrumq. obtinuit elementum, perspicuitas ergo, quæ manet, cum aqua in aerem mutatur, tantum materiæ propria est, quæ cum actu nequaquam sit, alterationem minime efficit eorum, quæ in inuicem transmutantur: si enim alterius contrarij proprium aliquod remaneret, alteratio quidem fieret, cũ verò nõ maneat, generatio ipsa simpliciter saluatur in mutua elemẽtorũ mutatione: recte igitur definita sunt omnia, quę de alterationis generationisq. discrimine docuimus, penes ipsam materiam, quandoquidem generationis subie-

ctum

ctu ens, quod potestate existit, esse dicatur, alterationis autem subiectum ens sit, quod actu existit. Nec propterea existimandum est, omnem mutationem, in qua subiectum in actu supponitur, alterationem vocari, quoniam alię etiã mutationes sint ab alteratione diuerse, quæ tale subiectum admittunt, quemadmodum est incrementum, & motus secundum locum, alteratio enim proprie dicta solum est ad passiones, quæ in prędicamento qualitatis reponuntur. verum enim est dicere, si quippiam alteratur ens actu pro subiecto habet, non autem ens actu pro subiecto habet, ergo est alteratio: cum ergo subiectum sensibile manet, alteratio efficitur, cum vero insensibile generatio simpliciter insurgit: similiter cum ad passiones mutatio tendit, subiecto actu permanente, alteratio apparet, cum verò ad formam substãtialem progreditur, subiecto sensibili non remanente, generatio simpliciter oritur: duobus enim his modis, recte alterationis nec non generationis simpliciter discrimen est definitum. Quòd si materia prima etiam accidentium subiectum fore dicatur, per posterius illorum esse dicitur, formarum verò per prius. quæ in predicamento substantiæ reponuntur.

Caput primum de acretione, quomodo nam ab alijs differat motibus.

EXPEDITA tractatione earum quæstionum, quæ ad absolutam generationis simpliciter atq. alterationis doctrinam pertinere, videbantur: Reliquum est, vt de ipso incremento agamus: Nam inter comunes mutationes collocatur, quæ in corporibus generabilibus & corruptibilibus apparent. De incremento igitur eas questiones primum explicabimus, siue quibus exactam illius cognitionem assequi nemo potest, quarum duę precipuę esse dicuntur, altera vt intelligamus, in quo nam a, generatione atq. alteratione distinguatur, altera verò quomodonam contingat augeri vnumquodq. quod augetur, nec non dimiuui, omne id quod diminuitur, quibus explicatis, ad cætera tractationem conuertemus, quæ ad naturam acretionis diminutionisq. assequendam conducere putantur, nec non vt modum assequamur, secundum quem fieri videntur, in quorum numero incrementi materia esse fertur, nec non si traddiderimus, quid nam vere sit, id quod accrescit, qualeq. illud sit, deinde autem, quæ nam sit differentia inter acretionem & nutritionem, sine qua incrementum in viuentibus fieri non potest. Quòd verò ad primum quesitum spectat, scrutãdum prius est, in quo nam ipsum incrementum a, generatione atq. alteratione differre valeat, quod iccirco queritur, quoniam huiusmodi mutationes in hoc conuenire videantur, quòd ex ente potentia ad ens actu transeant: Nam cum materia forma aut vtroq. multa inter se distinguantur, ex his quæ antea docuimus, satis patere arbitror, materia & forma generationem simpliciter non esse eandem cum alteratione, quòd vero mutationes omnes materia separentur, varia predicamenta, in quibus sunt declarant, in substantia enim generatio, in qualitate alteratio, in quanti-

tate

tate acretio fieri solent: quod etiam forma distinguantur, termini ad quos tendunt indicant, generationis siquidem finis sit substantia, alterationis qualitas, acretionis quantitas; a, quibus vtrisq. motus localis separatur, de quo in lib. de cœlo tractationem instituimus, quare in omni mutatione, cum pateat materia & forma distingui, manifestum satis est, acretionem a generatione & alteratione, tum materia, tum forma separari, quod quidem in artibus factiuis & mechanicis etiam contingere cernimus, quarum alie ab alijs materia non separantur, sed forma, quemadmodum nauifactiua & carpentaria, vtroq. autem medicina a, carpentaria distinguuntur, materia solum æraria & auri fusoria, quę ex materia annulum efficere possunt: modo verò, an incrementum a, generatione alterationeq. seiungatur, assequi non est adeo facile: quare quomodonam modo sint hæ mutationes diuerse, operepretium etiam est, vt determinemus: videtur enim modus transmutationis alius esse in alteratione & generatione, ab eo qui in incremento apparet, propterea quòd quæ alterantur & generantur, non ex necessitate secundum locum mutentur, quemadmodum ea, quæ augmentantur & diminuuntur, in acretione quod mutatur maiorem locum occupat, in diminutione vero minorem, nec locum in quo erat deserit, quemadmodum id, quod loco mouetur, in quo cum extensione conuenit, & si alio differat, quòd extensio ad vnam solum dimensionem fiat, acretio verò & diminutio ad omnem, quia secundum longitudinem latitudinem & profunditatem mutetur. Nec quæ libro phy. part. 57. docuimus, minime has mutationes inter se discrepare ostendunt, Nam etiam si motum localem ceterorum motuum causam esse ostenderimus, eosq. anteire, nihilominus tamen hic motus localis, cius quod mutatur nequaquam est, sed ipsius mutantis, Solem enim secundum locum mutari oportet, vt aerem nos ambientem alteret: illud igitur, quod in ipso alterari alteratur, nec non id omne, quod in ipso generari generatur, vt locum mutet, minime est necessarium, vt cum lac ex sanguine generatur, similiter id quod alteratur, vt cum homo aut aqua ad ignem calefit, id verò quod augetur atq. diminuitur, necessario locum mutat, non quia totum locum deserat, sed quia locum occupat maiorem in acretione, in diminutione verò minorem: Alteratio itaq. & generatio propter efficiens, motum localem requirunt, augmentum verò & decrementum propter id, quod secundum illa mutatur, locum enim cum proportionem cum locato habere oporteat, nulli dubium est, cum aliquid augetur, locum necessario mutare, non tamen secundum totum, quemadmodum id, quod loco fertur, sed tantum secundum partes, quia toto manente secundum partes additas, loci mutatio contingat, in quo sanè cum cœlo conuenire putatur, quod secundum totum locum nequaquam mutat, & si ab eo differre videatur, quòd cœlum in equali loco semper circulo feratur, quòd autem augetur nequaquam, ita vt secundum materiam locum mutare dicatur, quod cœlo minime competit.

PVT SECVNDVM DE MATERIA
acretionis quę fit.

CVM satis de discrimine incrementi a, generatione atq. alteratione differue-
26 rimus, operepretium modo est, vt eas quęstiones explicare, properemus, quæ ad perfectam incrementi notitiam facere dicuntur, nec non vt dubitationē a, principio propositam discutiamus, quæ circa modum versatur, secundum quem ipsum incrementum fieri solet, quęstionum autem primum illa sese offert, quę ad incre-
27 menti materiam pertinet. Etenim cum circa magnitudinem hoc est quātitatem versetur, opus est, vt definiamus, an hæc magnitudo sit potestate. corpus, actu vero incorporea, ita vt ex magnitudine potentia & corpore, actu autem incorporeo & sine magnitudine, magnitudo generetur, an vero sit actu corpus: nam si quispiam dixerit, magnitudinem, ex qua incrementum seu corpus quantum oritur, potentia corpus esse, erit necessarium, hoc corpus vel per se existens, separatumq. ponere, vel in quodā alio corpore, quorum vtrumq. impossibile videtur, si enim separatum extiterit, nullum locum occupabit, quod si dabitur, aut pūctum aut vacuum erit, nullum occupans locum, aut corpus non sensibile, hoc est mathematicum, punctum autem aut vacuum asserre, est impossibile: cum hæc per se subsistere nequeant, punctum enim semper in aliquo est corpore, vacuum autem libro 4. phy. non esse, ostendimus: præterea absurdum videtur. ex puncto magnitudinem aliquam augeri, quoniam rursus vacuum introduceremus: si enim quod augetur, maiorem occupat locum, quàm occuparet, ante illius acretionem, proculdubio locus vacuus erat, quem auctum occupauit, ita vt rursus vacuum erit, aut corpus in loco esse non habens, quorum vtrumq. est impossibile. Corpus autem non sensibile magnitudinem asserere, quæ est potestate corpus, etiam est impossibile, tale enim cum sit mathematicum corpus, in loco nequaquam erit, quia hoc solum in intellectu esse habet, cum verò corpus, quod augetur in loco esse constet. materiam eius in loco etiam esse oportet, quare nullo modo aliquid per se existens, & separatum, id quod est potestate corpus, dicere est possibile: in aliquo autem corpore magnitudinem, quæ sit actu incorporea, si quispiam affirmarit, plurima absurda sequentur, propterea quòd aut nihil erit eius in quo
28 est, vel aliquid illius, quod pars dicatur, aut passio, aut quidpiam ad ipsum esse conferens eius, in quo esse suum habet: Si autem concesserimus nihil eius esse, in quo continetur, perinde de eo erit, vt de aqua in vase contenta, quæ vasis nihil est, quod si fuerit, eueniet id quod augetur, augeri nullo modo eo corpore mutato, in quo existit quemadmodum si dixerimus aerem ex aqua factum, aqua minime mutata, sed materia quadam ab ipsa egressa, & segregata: Nihil præterea, etiam prohibet, secundum hunc modum dicentem, in eodem infinitas supponi materias secundum actum, quod omnino est impossibile, sequetur præterea generationem aeris ex aqua exitum quendam esse, atq. ipsum incrementum, quod penitus

nitus est absurdum, quoniam tam in acretione quàm in generatione videamus, mutationem eius contingere, ex quo quippiam augetur atq. generatur, non enim aqua manente aer producitur, nec absq. assimilatione incrementum ab alimento appositio procedit. Vacuum quoq. hac positione inducetur, quod enim alimenti seu materiæ apponitur, locum proculdubio occupauit, quem priusquam occuparet, vacuus erat: videtur ergo secundum vtrumq. modum impossibile, ex magnitudine, quę sit potentia corpus magnitudinem aliquam fieri. quod si verum fuerit, non poterit magnitudo, quæ est potestate corpus actu autem incorporea, materia incrementi esse. Quòd si aliquis adiunxerit magnitudinem, quæ sit potentia corpus non vt separatam, & nihil illius existentem, neq. vt partem corpoream, sed vt est informis materia, intelligi, quæ actu corpus nequaquam est, ille sciat, se non acretionis materiam, sed generationis potius facere, quæ nullam definitam quantitatem habet, quemadmodum acretionis materiam habere oportet.

29 Necessarium igitur est dicere, ipsius incrementi materiam magnitudinem actu corpoream esse, & inseparabilem, hoc est non separatam ab eo, in quo esse habet, sed aliquid illius esse, propterea quòd melius sit, rebus omnibus vnam statuere materiam, quæ non sit separata, materia enim, quæ generationi subijcitur, etiam inseparabilis est ab eo, in quo existit, quare non licet asserere, aquam ex qua generatur aer, materiam illius continere, quæ ab aqua separetur, sed opus est fateri, aquam ipsius aeris materiam esse, materia enim vna & eadem est numero cum aqua, ratione autem sola diuersa, aliud enim est aquæ, aliud autem ipsius materiæ esse: augmenti ergo materiam separatam minime esse patet, sed veluti partem in toto, quòd si ita sit, iam erit actu corporea magnitudo, non autem potestate, quod vtcumq. non est accipiendum, ne penetratio corporum inferatur, sed hoc modo, incrementum non nisi additione magnitudinis, quæ sit actu corpus resultare, in aqua enim cum ex ea aer generatur, aeris corpus actu non est, sed est materia prima, quæ forma aquæ spoliata, formam aeris induit, ita vt aer generetur, aqua corrupta, ex prima materia & sua forma, similiter in sanguine, ex quo caro producitur, est materia ipsius incrementi, fit enim per vlteriorem decoctionem & assimilationem ex sanguine caro, quæ corpus quodam actu existit, quod membro apponitur, quod augeri debet. Non igitur opus est, si materia eorum, quę fiunt & augentur actu corpus fuerit, quod separatum nequaquam est, putare corporum materiam lineas, aut puncta esse, quemadmodum Platoni & Democrito videbatur, hæc enim neq. per se subsistere valent, minusq. in loco esse, cum corpus antecedant, nec non actu corpora nequaquam fore dicantur, ita vt ex illis minime possit incrementum fieri, quemadmodum libro 3. cœli docuimus, nullum ex illis corpus generari, materia ergo eius, quod acrescit, illud erit, cuius puncta lineq. termini fore dicuntur, hoc autem magnitudinem actu corpoream esse patet, quam sine passionibus & forma impossibile est reperire, cuius generis est corpus naturale, non autem mathematicum, in quo

nulle passiones apparent, & si punctis & lineis sit terminatum, materia etiam, quæ passionibus & forma caret, generationis potius, quàm acretionis materia
30 esse censetur: Etenim alijs præterea rationibus magnitudinem, quæ sit actu corpus, incrementi materiam esse demonstrare possumus, quod facile prestabimus, si primũ in omni mutatione effectricem causam desiderari supposuerimus, generatur enim quicquid generatur ab aliquo actu existente, aut eiusdem generis, aut eiusdem speciei, quemadmodum libro primo phy. docuimus omne videlicet quod fit, ex aliquo fieri, & ab aliquo: in omni ergo mutatione non solum materia, sed etiã ipsum efficiens requiritur, quod aut genere aut specie idem sit cũ eo, quod generatur, eandem enim formam homo generans & generatus participant, cum autem durum a frigido efficitur congelatione, ab eo quod idem genere est fieri dicitur, nec non & illa, quæ per putredinem producuntur, quæ ab agente vniuoco minime generantur: conferunt enim hæc sermoni de incremento, ad indicandum aliquam esse incrementi effectricem causam, quæ similem reddit materiam eius, quod augetur ipsi augmentanti. itaq. cum necessarium sit, omne quod fit, ab aliquo quod actu sit, fieri, quod vel eiusdem generis vel speciei existat, si magnitudo, quæ incrementum suscipit, actu corpus est, necessarium profecto est, vt ab eo fiat, quod actu corpus esse dicatur, quare ex corporeo potestate, aut actu incorporeo, acretio resultare minime potest, sed solum ex eo, quod actu corpus esse fertur, cum omne quod incrementum suscipit, actu sit corpus.
31 In quo quidem & si videatur cum acretione alteratio ipsa conuenire, quoniam corpus quod actu est, pro materia habeat, alia nihilominus tamen est ratio corporis, quod alterationi subijcitur, & corporis eius, quod acretioni supponitur, subiecto enim eadem esse videtur, cum vtraq. mutatio magnitudinem corpoream & quantam requirat, ratione tamen distinguitur corpus, quod alterationi subijcitur, a corpore, quod acretioni supponitur, propterea quòd alterum tale, alterum verò tantum dicatur, mutatioq. in vtraq. modo diuerso contingat, in acretione enim ad quantitatem, in alteratione verò ad qualitatem fieri dicitur, ita vt alterationis materia sit corpus passiones habens, acretionis autem corpus definita magnitudine constans, quod etiam si sensibile sit, in eo tamen ad passiones vel ad sensibiles differentias nequaquã mutatio fit, sed ad ipsam quantitatem, quæ magno & paruo definiri solet: Etenim loco & subiecto materiam harum mutationum eandem esse, ex eo indicari facile poterit, quoniam illas loco separari si contingeret, sequeretur substantiæ passiones reuera a substantia separari, quod est impossibile, cum passiones proprie absq. substantia subsistere nequeant, veluti alibi docuimus. Cum igitur re ipsa passiones a, naturali corpore sint inseparabiles, eadem secundum subiectum alterationis ipsiusq. incrementi materia erit, secundũ rationem autem minime, quoniã ratione fieri nõ possit, vt passiones a, naturalibus corporibus separentur, ita vt in acretione, mutationem quanti corporis fieri dicamus, in alteratione verò qualis corporis: ratio enim ea

est,

est, quæ discrimen hoc in materia vtriusq. mutationis constituit, quę quidem corpus quoddam singulare definitumq. non autem comune existit, quod nullo modo reperitur, quod sanè si hunc in modum se habeat, manifestum satis esse potest, incrementum transmutationem ex magnitudine potentia nequaquam esse, sed ex magnitudine actu corporea & singulari: Nam si ex magnitudine fieret, quæ potentia corpus esset, sequeretur ipsum comune separatum esse, quod pro impossibili reputaumus, cum incrementi materiam inseparabilem esse ostenderemus, ne vacuum in primis separatum dari contingeret, quod nullum corpus continet. Amplius si magnitudo quæ potentia corpus esset, incrementi materiam aliquis faceret, generationem potius quàm incrementum constitueret, siquidem generatio nihil aliud sit, quàm mutatio ex ente potestate, ad ens, quod actu esse dicitur, acretio verò existentis magnitudinis additamentu, materia enim prima, quæ potestate corpus est, non est actu magnitudo, cum vna sit omnium formarum priuatione: omnino igitur necessarium est, incrementum ex magnitudine actu corporea fieri, quæ quanta sit, quamuis ipsum quantum minime inter actiua principia connumeretur, quemadmodum libro 4. phy. partic. 84. docuimus cum enim inter principia passiua reponatur, ex quanto tanquam ex materia,
32 corpus quantum insurgere potest. Nec obstant quæ in contrarium afferuntur, corpus quod actu est, eius quod augetur materiam minime esse, quoniam sequeretur, penetrationem corporum dari, quod alibi negauimus: Nam duo in primis ad verum incrementum cum requirantur, alterum vt id quod acrescit, secundum quamcunq. particulam incrementum suscipiat, alterum autem vt aliquo extrinsecus accedente maius euadat, videbitur in acretione cuiuscunq. corporis, penetratio corporum dari, quoniam in eo quod augetur, necessarium sit, adesse corpus extrinsecus accedens, quod per omnes particulas penetrabit, quòd si aliquis dubium hoc ita diluere conetur, corporum penetrationem in incremento nequaquam sequi, quoniam videatur corpus, quod extrinsecus accedit, mutari & assimilari, quemadmodum experimur sanguinem mutari, & ex eo carnem generari, antequàm partes carnis augmentum suscipiant, adhuc tamen dubium propositum vrgere videbitur, propterea quòd sequeretur, acretionis & generationis nullum discrimen esse, cum tamen plurimum inter se differant huiusmodi mutationes, id enim quod generatur ante generationem non est, quod verò augetur, antequam maiorem molem acquirat, actu existit, quemadmodum id quod loco mouetur, veluti lib. 4. phy. partic. 24. docuimus. præterea id quod augetur, aliquo extrinsecus accedente augetur, id autem quod generatur nequaquam, in generatione aeris ex aqua, fit interitus ipsius aquæ, nutrimentum autem quod in incremento apponitur & assimilatur, remanet, nec non & corpus ipsum, quod acrescit, siquidem idem numero maneat in vtroq. termino mutationis, quod in eo quod generatur, nequaquam enenire probamus, quoniam secundum formam mutetur: omnino itaq. aquæ mutatio in aerem, augmen-

tatio

tatio non est, si vera sunt, quæ de ipso incremento supposuimus, nempe id quod augetur secundum quamlibet particulam augeri, deinde verò corpore aliquo extrinsecus accedente apposito, & assimilato, incrementum eius fieri, postmodum autem idem manere numero, propriamq. formam cum ratione in vtroq. ter-
33 mino mutationis retinere. Quòd si quispiam dixerit, saltim concedi posse, corpus comune, quod manet, illud esse quod incrementum admittit, nullam videbitur ambiguitatem parere, quoniam impossibile sit affirmare, corpus comune aeri & aquæ illud esse, quod augetur, quoniam in eo non possint tres incrementi proprietates allate seruari, in primis materia prima, quæ manet in mutatione aquæ in aerem, eadem nequaquam manet sub vtroq. termino mutationis, quod autem manet, est mataria propria aeris, quæ corpus comune nequaquam est. præterea incrementum cum sit substantiæ corporeę, & singularis, quæ a, passionibus nullo modo separat, fieri nullo modo potest, vt communis corporis, quod a, passionibus separat, sit ipsum incrementum: cum ergo penes vtrunq. modum in generatione aeris ex aqua, nihil auctum esse dicatur, quoniam nec secundum aerem, nec secundū corpus comune, necessarium est, incrementi materiam corpus esse, quod singulare actuq. existit, vt tres proprietates incrementi seruari valeant. quarum vna est, quamcunq. partem corporis, quod augetur, maiorem fieri, hoc est secundum quamcunq. particulam augeri, non autem secundum quasdam tantum hoc sustinere, cum enim nutritione singulis partibus nutrimentum apponatur, atq. a calore natiuo assimiletur, nutritionem autem incrementum sequatur, quamcunq. particulam incrementum suscipere oportet, alterum autem est, quoniam aliquo extrinsecus accedente & appositò, incrementum fieri debet, vt ab extensione & rarefactione differre valeat, quæ maiorem videntur quantitatem corporibus tribuere, nullo corpore extrinsecus accedente: in viuentibus autem cum nutritionem sequatur, sine accessu alimenti, quod extrinsecus assumitur, incrementum fieri nequaquam potest: tertia vero est, manere & saluari id quod augetur, ita vt tantum in quantitate non autem in substantia mutetur, cum maius euadit, quemadmodum in ijs, quæ alterantur contingere experimur, quæ solum secundum passiones aliquam suscipiunt mutationem, in quo sanè ab his, quæ generantur differunt, cum in eis secundum substantiam mutatio contingat, quod ratio eorum, quæ variat ostendit: si ergo incrementum simile esset mutationi, quæ fit ex aqua in aerem, impossibile esset proprietates eius saluare, quas tamen saluare oportet, vt veram incrementi materiam assequamur: Nec ob id sequitur penetrationem corporum dari, quoniam semper loco eius quod dissipatur, aliquid apponitur per meatus, quod vbi assimilatum est, statim particulæ incrementum apparet, quemadmodum posterius docebimus.

Caput

CAPVT TERTIVM, QVID NAM sit id quod augetur.

MATERIA ipsius incrementi explicata, operepretium est, vt definire
34 *aggrediamur, quid nam vere illud sit, quod incrementum admittit: Tria enim cum ad hanc mutationem concurrant in viuentibus, quæ verum augmentum habent, quod accrescit, corpus scilicet, id præterea quo incrementum efficitur, nutrimentum videlicet appositum & assimilatum, demum verò virtus auctrix, quæ incrementi effectrix causa existit: vertitur in dubium, quod nam horum sit, quod vere augeri dicatur, facultatem autem auctricem cum in hac mutatione agat, non autem patiatur, minime id esse, quod augetur, dubium esse non debet, nutrimentum autem & corpus quod nutritur, cum aliquid patiantur, non sine ratione querimus, quid nam sit, quod in incremento maiorem molem acquirat: etenim in vini & aquæ mistione, quam acretio sequitur, cum aut solius vini aut aquæ acretio facta esse non videatur, sed vtriusq. poterit quispiam existimare, alterius acretionem propriam nequaquam esse, cum tamen hoc pacto rem se habere, non sit putandum, si ad memoriam proprietates incrementi reuocaueri-mus: cum ergo id quod incrementum suscipit, necessarium sit saluari, & permanere idem numero, sub vtroq. termino mutationis, hoc autem solum corpus totum aut particula in incremento habeat, non autem nutrimentum, quod nouam formam assimilatione suscipit, ipsius particulæ, non autem nutrimenti, acretio erit, similiter in mistione vini & aquæ, cum vinum maneat, propriumq. nomen retineat, vini incrementum erit, quod aquam superat, & in sui naturam mutat: quod enim corrumpitur & mutatur, augeri nequaquam dicitur, quare eius vere incrementum erit, quod manet vnum & idem numero, & quod in mistione dominatur: Nutrimentum ergo cum in substantiam partis mutetur, minime augeri dicitur, nec non facultas acretionem efficiens, quandoquidem in ipsa alteratione, id quod alterat, minime alterari dicatur, sed ipsum corpus, quod alteratur: ignis enim cum corpus calefacit, minime alteratur, sed tantum corpus ipsum alterat: etenim si alteratiuam facultatem, quæ in viuentibus reperitur, alterari contingeret, vnam & eandem virtutem tum actiuam, tum passiuam, respectu suæ operationis, dicere quispiam posset, quod quidem falsum existit, cum id, quo aliquid alteratur, quemadmodum id quod patitur, fieri non potest, quin non patiatur: Vniuersaliter igitur, quod corrumpitur aut superatur, auctum esse non dicimus, nec non id, quod nihil patitur, sed id tantum, quod permanet, simulq. aliquid patitur: quod si contingat, vt viribus æqualia sint, quæ miscentur, incrementum nequaquam erit, sed vtriusq. mistio quædam. Quod si quispiam existimauerit, id quo res acrescit, vt puta nutrimentum augeri, quoniam si in spiritum mutetur, maius euadat, is sciat, hoc acretionem minime arguere, sed quandam potius generationem, siue nutrimenti in aerem mutationem:

nem: Augmentatiua enim potentia in eo, quo res augetur, minime residet, sed in eo, quod augeri videmus, est enim vegetatrix facultas, cuius opus est ipsum incrementum, in corpore, quod animatum est, non autem in inanimato, cuiusmodi est nutrimentum, similiter neq. id, quo quippiam alteratur, alterandi potentiam habet, sed ipsum corpus, quod alteratur: nisi calor quidam igneus & elementaris in corpore esset, ab ignis calore nequaquam calefieret, in eo igitur quod augetur, atq. alteratur, existit ipsum augens, atq. ipsum alterans, in alteratione verò aliquando fit, vt alterans principium etiam alteretur, propterea quòd duplex sit agens, quod alterandi vim habet, alterum extrinsecum, alterum verò intrinsecum, extrinsecum nequaquam alteratur, sed tantum intrinsecum, veluti facultas animæ nutritiuæ, quæ hebetatur, cum nullam seruat cum nutrimento proportionem, ignis autem in calefactione manus non alteratur, quemadmodum Sol agens in hęc inferiora, in acretione autem, in qua tantum intrinsecum effectiuum principium reperitur, illud nihil patitur, solumq. agit, quoniam nulla est contrarietas secundum qualitates, inter facultatem augmentatiuam et nutrimentum, ita vt agens intrinsecum duorum sit generum, alterum secundum qualitates contrarietatem habens, alterum verò non habens, quorum illud agendo nihil patitur, hoc vero patitur, atq. alteratur, in acretione igitur, cum tantum detur principium intrinsecum acretionis effectiuum, contrarietatis expers, iccirco non patitur, quemadmodum in alteratione, in qua principium alterationis intrinsecum secundum qualitates opponitur ei, quod ab eo alteratur, augens itaq. nunquam augetur, alterans verò aliquando alteratur. Inquisitione tamen adhuc dignum videtur, quo nàm pacto in alterato principium alterationis esse dicatur, non autem in ipso alterante, in eo enim quod acrescit, manifestum est, principium effectiuum incrementi esse, quoniam in parte quam augeri videmus, augmentatiua facultas sedem habeat: in alteratione autem irrationabile videtur, in eo quod alteratur, non autem in ipso alterante principium alterationis effectiuum ponere: Nam si in alterato hoc principium collocauerimus, idem a, seipso alterari eueniet, quod sane est absurdum, quia sensibus pateat, corpora nostra a, seipsis nequaquam alterari, sed ab igne & ab aqua. Dicere tamen ad quæstionem hanc possumus, in eo quod alteratur, alterationis efficientem causam reperiri, quæ tamen alterius est rationis ab ea, quæ in ipso alterante reperitur, in alterante siquidem potestate esse dicatur, in alterato autem actu, quoniam medicamenta corpus humanum non alterant, nisi prius a, natiuo corporis calore aliquid passa fuerint. Dici præterea potest, in alterato principium alterationis effectiuum inesse, quod ab eo non separatur, aqua enim calefacta a, propria & insita frigiditate refrigeratur, extrinsecum verò quod ab alterato separatur, in eo nequaquam existit, quemadmodum in aqua caliditas a, qua tamẽ alteratur: Nec præterea mirari aliquis debet, quamobrem quatuor existentibus mutationibus, in locali tantum & augmentatiua, ipsa motus potentia in eo, quod mouetur constituta fuerit, in generatione verò & alteratione potius in

ipso

ipsò agente, quoniam in generatione, id quod generatur, cum nondum sit, quemadmodum in loci mutatione id quod loco fertur, veluti lib. 4. phy. parti. 24. docuimus, non potest in generatione essendi causa sibi esse, causam enim alicuius veluti alibi dictum est, actu esse oportet, nihil etiam vt corrumpatur, sibi est causa, quoniam omnia natura ipsa summopere esse appetant, in alteratione idem quoque non contingere videtur, quoniam alteratio si intendatur, corpus quod alteratur, corrumpi sit necessarium, quare nullum in eo mutationis efficiuum principium habetur, quod non de quacunq. alteratione intelligi debet, sed de illa, quæ aut generationem aut corruptionem corporis antecedit, quoniam de ea, quæ solum ad ipsas sit qualitates, nullum locum habeat, in qua docuimus principium alterationis intrinsecum & effectiuum alterato inesse, quemadmodum in eo quod augetur inesse diximus, in acretione enim si nutriens & augens nutrito et aucto assimilari debeant, nullum dubium est, antequam assimilentur, potentia esse, non autem actu, quod verò potentia existit, non potest sibi ipsi causa esse, vt assimiletur, quare ipsum quod augetur, & nutritur, in quo naturalis facultas residet, causa est, vt assimilatio alimenti contingat, in motu autem locali si motus causa fuerit natura, nulli dubium est, principium effectiuum motus esse in eo quod mouetur. Dubitationibus autem allatis, quæ circa incrementi materiam in insurgare videbantur, reliquum est, vt ea adferamus, quæ præcipuas incrementi proprietates saluare videntur, nec non quæ dubitationes propositas diluere possunt, vt veram de incremento sententiam assequamur, quod sane commode prestabimus, si duo verissima supposuerimus alterum, quæ sunt dissimilium partium in animatis augeri, quoniam ea, quæ similium sunt partium, augmentum suscipiant, partes enim dissimilares cum nihil aliud sint quàm similares simul compositæ, non auctis similaribus, dissimilares incrementum suscipere nequeunt: si enim illud augeri dicitur, cui corpus extrinsecus accedens apponitur, similaribus autem partibus sanguis in carnem mutatus apponatur, profecto absq. incremento partium similarium vt carnis, manus quæ pars dissimilaris existit, nullo modo acrescere potest. Alterum præterea huic loco accomodatum suppositum est, omne corpus naturale cum ex materia & forma sit constitutum, aut a, materia aut a, forma denominari, carnem enim sanguinem concretum vocare possumus, nec non partem in animalis corpore similarem, quorum alterum materiam sequitur, alterum verò ipsam formam: cum ergo id quod augetur, materiam & formam habeat, si illud augeri dixerimus, aut secundum formam, aut secundum materiam vt augeatur, necessarium esse videtur, vt concedamus; si enim potissimas incrementi proprietates seruare voluerimus, secundum formam incrementum erit, non autem secundum materiam, atq. si dubitationes propositas euitare voluerimus; Materia enim ex qua res constant, cum sit in continuo fluxu, nihil vnum & idem numero in incremento secundum illam manere potest, quare si secundum materiam incrementum esse, quispiam dixe-

rit, minime altera proprietas seruabitur, in qua dicebatur, incrementum corporis fieri secundum quamcunq. illius particulam, quoniam partibus materiæ quæ recesserunt, nulla corporis extrinsecus accedentis additio fieri valeat, nonnulla præterea incommoda sequerentur, si secundum materiam ipsum incrementum fieri concesserimus, cum enim per omnem materiæ particulam transitum corporis, quod apponitur, fieri sit opus, necessarium erit, concedere, id per quod procedit, vacuum aut meatum esse, vel si hæc non erunt, corporum penetrationem dari, atq. duo corpora in vno eodemq. loco esse, quæ quidem omnia valde sunt absurda, nec non impossibilia: Nullo igitur modo ipsam materiam augeri, dicendum est, aut secundum illam acrescere corpus, quod acrescit, sed secundum formam potius, si ea seruare volumus, quæ de ipso incremento antea traddidimus, nec non dubitationes allatas diluere, quod tamen non vtcumq. intelligi volumus, sed secundum formam quantam incrementum fieri, quæ in ipsa corporis conformatione & structura esse suum habet, forma enim quanta in his est conspicua, quæ quidem in materia quanta extensa existit. non ergo fit incrementum secundum formam, quatenus forma & perfectio corporis dicitur, sed secundum formam, quę in materia quanta extensionem habet, nisi enim materiæ aliquid semper adderetur, formæ extensio minime fieret, cum ergo forma ipsa semper maneat, nec mutetur, quemadmodum materia, quæ est in perpetuo fluxu, iccirco incrementum eius, quod acrescit, secundum formam erit, non autem secundum
36 materiam. Quod quidem hunc in modum se habere, tali exemplo facile indicabimus mensura enim quæ aquam aut oleum mensurat, eadem semper manet, solum autem in partibus aquæ & olei, quæ mensurantur, mutatio contingit, quoniam alie accedant alie vero recedant, ita vt mensura rationem formæ habeat, quæ verò mensurantur, rationem ipsius materiæ teneant. Nec ea dubitatio impedimento erit, qua aliqui probare contendunt, formam nequaquam immutabilem permanere, propterea quòd non nisi in materia esse habeat, quæ cum mutetur, etiam formam mutari oporteat, Nam cum ea semper materiæ quantitas adsit, in qua forma seruari potest, iccirco minime mutatur, quemadmodum vmbræ statis in rippa fluminis contingit, quæ quidem seruatur, etsi continuus sit aquæ fluxus, ita vt materiales partes fluminis recedant, aliarum enim accessu cum ea materiæ quantitas seruetur, quæ ad vmbram seruandam sufficiunt, iccirco illa seruatur, nullamq. mutationem suscipit, quemadmodum contingit in facie humana, cuius figura in puero & iuuene eadem manet, solum autem coextenditur in incremento faciei, ita vt secundum quantitatem solam mutetur, non autem secundum esse, quod in materia habet. Quod si quispiam his non consentiat, quoniam forma secundum quam incrementum fieri volumus, cum in subiecto esse habeat, impossibile sit vt immutabilis reddatur, talia dicenti hoc pacto occurrere possumus, minime vrgere dubitationem allatam, quoniam materia in qua forma residet, secundum omnes partes simul nequaquam mutatur, sed successiue, ita vt

continua

continua additione nouæ materiæ, cum loco partium, quæ receſſerunt, alie ſucce-
dant, tota materia, in qua forma exiſtit, ſimul non corrumpatur, ſed maneat, qua
remanente, neceſſarium eſt, eſſe forme ſeruari, ſolum autem quantitatem illius
mutari, quoniam ad extenſionem materiæ extendatur, quod quidem in vmbra,
quæ in ſuperficie aquarum apparet, nec non in corporibus viuentium eſt con-
ſpicuum, pede enim aut manu amputatis a, toto corpore, forma illius minime
mutatur, quoniam totam materiam ſimul mutari, non contingit, quod qui-
dem in humido radicali etiam accidit, in quo natiuus calor reſidet, quod
quamdiu reſtauratur humore cibali addito per nutritionem, calor ſeruatur, qui
quidem vitæ cum ipſo humore cauſa exiſtit; non enim totius humoris ſimul cor-
ruptio fieri ſolet, ſed ſecundum illius partes, donec marcore ſuccedente anima-
lis interitus ſequatur: relinquitur igitur apertum eſſe, ſecundum formam in
viuentibus verum incrementum fieri, quæ non mutatur, non autem ſecundum
37 materiam; Quod verum eſſe, partes animalium diſſimilares oſtendunt, in quibus
totius corporis forma magis apparet, quoniam ille vere actiones obeant, in illis
38 enim magis eſt conſpicuum incrementum, quam in ſimilaribus. Quibus hunc in
modum conſtitutis, difficultatem propoſitam diluere arduum nequaquam erit,
in qua dicebatur, ſi materia incrementi magnitudo fuerit, quæ ſit actu corpus,
neceſſarium eſſe, vt corporum penetrationem introducamus, cum ſecundum
quodcumq. ſignum fiat appoſitio corporis, quod extrinſecus accedit, vt corpus
ſecundum quamlibet particulam augeri valeat; etenim cum nutrimentum,
quod extrinſecus accedit, antequam aſſimiletur, atq. ex eo incrementum inſur-
gat, partim ſimile, partim verò diſſimile exiſtat, quoniam potentia ſanguis eſt
caro, aut os, ante ipſius particulæ incrementum, cum ergo id quod acreſcit, actu
non ſit, ſed poteſtate, ita vt mutationem ante acretionem ſuſcipiat, iccirco mini-
me contingit, corporum penetrationem dari, cum apponitur corpori, quod auge-
tur, quod maxime apparet in miſtione humidi cum ſicco, in qua humidum in ſic-
cum cum mutetur, ſiccum mauis euadit: Actio enim & paſſio cum ab his pro-
ueniat, quæ diſſimilia ſunt, nutrimentum actione caloris eius corporis, cui eſt
appoſitum, mutatur, illiq. ſimile redditur, quod ſi non fieret, ſequeretur penetra-
tionem corporum dari, ſi enim ſolum apponeretur ſanguis carni, nulla aſſimila-
tione ſubſequente, additamentum potius quoddam quàm verum incrementum
nuncuparetur, quoniam ſecundum quodcumq. minimum additio corporis ex-
trinſecus accedentis minime fieret: Nec ob id putandum eſt, hanc alimenti mu
tationem, quam proprius corporis calor efficit, generationem eſſe, quoniam in
generatione per ſe fit, mutatio eius, quod mutatur, in incremento autem fit po-
tius mutatio materiæ corporis, quod augeri debet, videtur tamen ipſum incre-
mentum abſq. generatione aliqua nequaquam fieri, quoniam ſanguis aſſimila-
tus, carnis naturam & nomen ſuſcipiat; conſtituendum ergo eſt, vt ſeruentur
proprietates incrementi, nec non vt euitemus dubitationes propoſitas, corporis

incrementum formam, non autem materiam sequi, forma enim illa est, quæ materia ampliori reddita superextenditur, quemadmodum canalis aqua multiplicata, qui secundum quamcunq. particulam extenditur, nec non vesica spiritu exsuflatione si impleatur.

CAPVT QVARTVM DE INCREMENTO
quale sit id quod augetur, quo pacto fiat incrementum de discrimine eius a, nutritione.

DVBITATIO quædam suboritur, propter ea, quæ de nutrimento, quod
89 est materia incrementi docuimus, Cum enim ante assimilationem sit potentia caro, aut os, quæ augeri debent, videbitur ipsum incrementum a, generatione minime discrepare, quoniam etiam in ipsa generatione aer, antequam ex eo ignis generetur, potentia ignis esse videatur, quare secundum materiam minime inter se huiusmodi mutationes discrepabunt: Hoc enim solum videtur indicare, ipsum incrementum absq. generatione minime fieri, non tamen idem cum illa esse, quoniam veluti admonuimus, in generatione mutatio materiæ secundum se fieri dicitur, in acretione verò materiæ mutatæ, in eo quod augetur, quoniam non simpliciter fiat materiæ mutatio, sed materiæ corporis, quod incrementum suscipit, in acretione enim primum sanguis particulæ miscetur, deinde assimilatur: si autem primum assimilaretur, antequàm apponeretur, generatio potius esset. hæc igitur est differentia inter generationem & acretionem, quòd huius materia non per se mutatur, sed corpori appositæ, illius autem secundum se mutatur, quoniam in generatione ignis ex aere, non sit aer igni commistus, quod ergo generatur, secundum se mutatur, quod augmentatur in alio mutatur, quoniam etiam corpus ipsum mutetur, in quo est alimentum, quod assimilatur, ita vt in generatione ex non ente actu ens actu producatur, in acretione autem ens quod actu existit, maius euadat; hoc itaq. est discrimen harum mutationum, quod ignis exemplo indicari potest, lignorum siquidem additione ignis augeri videatur, quæ cum accensa sunt, ignis potius generari dicitur. incremẽtum ergo corporis erit, quod ab illius calore mutatur, aliqua etiam mistio elementorum in generatione mistorum apparet, quæ eadem nequaquam est cum mistione nutrimenti, quod acretionis materia esse fertur, siquidem nutrimentum in naturam corporis, quod acrescit conuertatur, elementa verò nequaquam, quæ in mistione solum secundum eorum qualitates remittuntur: Mistum itaq. illud est, quod vere augetur,
in quo est ipsum nutrimentum, quod vinum indicat, quod aquæ mistione auge-
40 tur: Nec præterea obstabit, quod aliqui adferre videntur, omne quod fit, si ex eo fit quod dissimile in principio existit, nec non id omne quod acrescit, videbitur ipsum quantum, ex non quanto resultare, propterea quòd non sit ipsius vniuersalis generatio, sed singularis, quemadmodum in Metaphy. docuimus, nec non

quanti

quanti vniuersalis incrementum, sed huius atq. illius, quod definitum cum sit, & singulare, ex quanto aliquo singulari fieri oportet, quemadmodum aliquod animal ex aliquo animali, homo enim vniuersalis hominem nequaquam generat, at hic homo hunc hominem producit. Quantum igitur per se subsistens non generatur, sed caro quanta, fit enim carnis quante generatio ex sanguine quanto, qui potestate caro est, et dissimilis ante ipsam assimilationem, quemadmodum enim homo fit ex actu non homine, quia ex semine, similiter caro & si ex non carne fieri dicatur, nihilominus tamen, ex carne quanta in incremento caro quanta euadit, quoniam ipsum quantum immutabile dicatur, atq. corporis natura in carne & sanguine nequaquam mutetur, non ergo in acretione ex non quanto simpliciter fit quantum, quemadmodum in generatione, ex non homine homo, qui ex semine quod mutatur producitur, sed ex non carne quanta, hoc est ex sanguine actu quanto, caro actu quanta generatur, ita vt dissimilitudo non fit in quantitate, sed in ipsa substantia, inter carnem & nutrimentum: solum ergo assimilatione aliam formam nutrimentum suscipit, quantitate immutabili permanente, si enim id quod quantum non est, quanto adderetur, nullo modo maius euaderet, quemadmodum punctum corpori cum adiungitur: ex non quanto enim quantum nullo modo resultat, quemadmodum prius ostendimus. Quod
41 sane verum esse, discrimen indicabit, quod nunc explicare intendimus, inter acretionem atq. nutritionem, quod facile assequemur, si concesserimus, id quod augetur, duobus modis considerari, aut secundum ipsam substantiam & proprium esse, aut secundum quantitatem, secundum priorem modum, nutriri dicitur, secundum alterum verò augeri, ita vt subiecto nutritio ab acretione diuersa nequaquam videatur, sed tantum secundum ipsam rationem, quoniam ex alimento animal nutriatur, vt substantia, quæ perpetuo dissipatur resarciri valeat, incrementum autem ab alimento procedat, vt animal maiorem molem acquirat, vtrumq. enim animę vegetatiuę opus est, in quo eodem vtitur obiecto, quod nutrimentum esse libro 2. de anima docuimus: videtur igitur nutrimentum compositum ex vtroq. potentia esse, est enim potentia caro, nec non potentia caro quanta, ita vt mirum non sit, si ab eo tum nutritio tum incrementum in viuentibus procedat. est enim nutritio nihil aliud, quàm formæ custodia, hoc est esse ipsius viuentis, acretio verò extensio formæ quantæ ad maiorem magnitudinem, si autem ratione eadem esse huiusmodi mutationes contingeret, quamdiu animal nutriretur, etiam augeretur, obiectum similiter vtriusq. quod nutrimentum esse diximus, & si subiecto vnum et idem sit, ratione tamen diuersum existit, quoniam nutrimentum cum secundum formam operatur, nutrit, cum autem secundum quantitatem, auget, quod quidem ita esse, facile quicunq. intelliget, si formam in materia, et a, materia separatam considerauerit, eius corporis, quod nutritur & viuit; etenim nutrimentum si secundum solam formam operetur, nutritio sequetur, si autem secundum formam quantam, quæ in materia quanta

esse

esse suum habet, acretio resultabit, formæ autem naturales & si nunquam absq; materia subsistant, abstractione tamen mathematica, si aliquis clarioris doctrinæ gratia vtatur, non aberrabit; iccirco enim dicitur forma sine materia, quoniam fieri potest, vt secundum formam solam mutatio contingat, non autem secundum quantitatem, eius quod mutatur, quæ quidem in materia esse habet, nec ab ea separatur, itaq. si solius formæ mutatio eueniat, quemadmodum in iuuentute & consistente ætate fieri experimur, nutritio erit, si vero quantitatis mutatio contingat, vt in adolescentia & pueritia, in quibus forma etiam extendi-
42 tur, acretio fuerit, cui decrementum opponitur, quod in viuentibus accidit, quando nutrimentum augmentatiuam facultatem superauerit, ita vt in naturam eius conuerti nequeat, quemadmodum in plurima mistione aquæ cum vino contingere experimur, in qua vinum aquam mutare cum nequeat, minime augetur, quod etiam in viuentibus contingit, calore imbecilliori reddito, qui quidem & si nutrimentum assimilet, tantum tamen apponere non potest, quantum fuit dissolutum, ex quo fit, vt viuentis forma & esse maneat, quantitas autem minor reddatur, quod excrementa indicant, quæ in senectute & tabidis abundant. frustratam enim appositionem alimenti consequuntur. contingit ergo animal donec saluum fuerit, nutriri, incrementum autem suscipere, nequaquam, & si nutrimentum potentia compositum ex vtroq. dixerimus esse, quod propter quid contingat mox explicabo. cum de nutritione sine qua incrementum fieri nequit, sermonem habebo.

CAPVT VNICVM DE nutritione auctoris.

CVM incrementum absq. nutritione in viuentibus fieri, nequaquam possit, operepretium est, vt de nutritione agamus, etiam si ad libros de anima illius consideratio spectare videatur, quod vt commodius præstare possimus, in primis, quid nam nutrimentum sit, nec non quid nam vere nutrire dicatur, explicabimus, quandoquidem hæc non paruam ambiguitatem habeant, si ergo vera sunt, quæ ab Arist. tradita fuerunt, materia minime nutritionem ab incremento discrepare, nutrimentum profectò illud erit, quod partim simile, partim verò dissimile est cum corpore, quod nutriri debet, cum enim potentia sit caro, aut os, non autem actu, antequam assimilatum sit, dissimile esse oportet, post assimilationem autem simile, at cum potentia dicimus nutrimentum illud erit, quod proxima potentia caro aut os esse censetur, cuius generis id est, quod vnica mutatione, quæ assimilatione efficitur, in naturam corporis, mutatur, veluti sanguis in carnem, quod si hoc modo se habeat, quecunq. potentia remota, id quod nutriri debet, existunt, vere nutrimentum nequaquam erunt, quemadmodum in primis quatuor sunt elementa, quæ plures mutationes postulant, vt corpori misto similia reddantur, mista præterea inanimata etiam nutrimentum non erunt, sed ea

solum

solum quæ a, facultate nutritiua animæ mutari possunt, cum ergo metalla a natiuo calore animalium mutari nequeant, inter ea, quæ nutriunt connumerari nequaquam possunt. nec non quòd calidum & humidum in illis nequaquam abundet, in quibus vita posita est, quæ quidem nihil aliud est, quàm prima participatio animæ, cum calido natiuo, quod humido radicali nutritur, in eoq. propriam sedem habet: hæc enim cum elixatione concoqui nequeant, sed a calore sicco potius soluantur, nullo pacto nutrire possunt, quare fabula est Sturtio cameli ferro nutriri, aliquaq. animalia igne, aut aere, vt nostra ætate de cameleonta aliqui credunt, aere nutriri, in fodinisq. ararijs, papiliones, igne & salamandram. quemadmodum posterius demonstrabimus, cum tales sententias euertemus. Nunc autem constitutum sit, corpora solum mista ad nutrimentum apta esse, at non omnia; sed ea solum quæ a, calore animalium elixari possunt, quorum alia facilius, alia verò difficilius in nutrimentum actu mutantur, quæcunq. enim humorem magis concoctum siccoq. bene commistum habent, in primis facillime nutriunt, quæ verò incococtum adhuc habent, male aut difficillime, veluti fructus immaturi, qui humore aqueo & frigidiore abundant, deinde quæcunq. calore aut frigore nimio natiuum calorem superant, nutritioni sunt ineptissima, cuius generis sunt venena omnia, quæ in quarto gradu calida aut frigida esse dicuntur, demum autem qæcunq. summam siccitatem secum habent, ad nutritionem sunt inutilia, cum sint inelixabilia, quod in ramis plantarum experimur, quæ cum pullulant bruta nutriunt, exsiccata vero hoc præstare nequeunt. in horum autem genere, quæcunq. vegetatiua animæ facultate prædita sunt, nutritioni maxime sunt accommodata, quoniam humorem valde cõcoctum habeant, nec non sicco optime commistum, ita vt non solum nutriantur, verumetiam nutrire apta esse videantur, Nutriens enim libro 2. de gen. animalium scribit Arist. quodcumq. esse, quod toti & partibus esse tribuit, quoniam nutritio ad salutem conseruationemq. viuentis data sit, quæcunq. igitur hoc efficere valent, in genere eorum, quæ nutriunt, possunt collocari, quorum magna est diuersitas, quoniam cum simile simili conseruetur, sintq. viuentia varijs temperamentis prædita, non omnia vno & eodem nutrimento vtuntur, sed alia nobiliori, alia ignobiliori, nec non alia calidiore, alia humidiore, alia sicciore, alia vero frigidiore, quemadmodum in partibus humani corporis experimur, quarum alie biliosõ sanguine, alie pituitosõ, alie verò melancolico, optime nutriuntur & conseruantur, quoniam hæc minori egeant alteratione, vt assimilentur: alteratio autem cum coctionem sequatur, concoctio autem alias naturæ facultates requirat, attractricem, retentricem, expultricemq. hæc autem in solis viuentibus appareant, viuentia solum vere nutriri dicuntur, inanimatorum autem nullum nutritur, quæ organis nutritioni seruientibus nutritiuaq. facultate orbata sunt, cuius generis sunt ignis inter elementa, & metalla, quemadmodum posterius demonstrabimus. quoniam ignis non nutriatur, sed omnia potius corrumpat,

atq.

atq. ex eis ignem generet, cum ex illis nouam formam producat, non autem eandem seruet, quod quidem nutritionem efficere docuimus: Itaq. cum satis iam pateat, quid nam vere nutrimentum sit, et quæ in corporibus nutriantur, reliquum est, vt quid nam nutritio ipsa sit, aperiamus: cum autem nutritionem opus animæ vegetatiuæ primum & maxime commune esse constet, tum ex phylosophorum tum Medicorum placitis, nutritio nihil aliud erit, quàm actio quædam vegetatricis animæ, qua alimentum mutatur & assimilatur, vt esse viuentis seruetur, etenim cum vita in calido & humido natiuo posita sit, continuoq. calidum in humidum agat, eoq. pabuletur, humidi dissolutionem fieri contingit, quod nutritione nisi instauraretur, vita deficeret, quoniam calor ad defectum sui pabuli interiret, quemadmodum in libro de morte & vita docuit Arist. Quod si cum Galeno nutritionem alimenti assimilationem esse dixerimus, vt cumq. non erit intelligendum, quoniã simpliciter concoctio assimilatio esse videatur, erit igitur alimenti assimilatio ad speciem eius, quod nutriri debet, quoniam nutritio esse individui seruare intendat, quemadmodum acretio quantitatem corporis, quod nutritur. Nec assimilatio proprie fit in coctione, sed verius alimenti seu humoris aquei perfectio quædam vtilis ab inutili separatione, quam iccirco natiuus calor efficit, quoniam humor inconcoctus & aqueus nutritioni sit ineptus, quare assimilatio in ventriculo, iecore, & venis minime fit, sed potius in partibus, quibus sanguis est appositus, qui quidem a, calore partium assimilatur. atq. in earum naturam conuertitur, ita vt in nutritione viuentium, primum coctione humidum perfectum euadat, deinde verò apponatur, appositum assimiletur, assimilatumq. nutriat, & esse totius viuentis conseruet, nec propterea existimandum est, assimilationem hanc nutrimenti esse ad animatum esse, quemadmodum aliquibus visum est, & si ab anima proueniat, esseq. viuentis seruet, quia solum est mutatio in naturam & substantiam partis, cui apponitur, vt mutatio sanguinis in carnem, quæ pars quædam est similaris, quæ suapte natura non est animata, sed quia ex illis dissimilares sint constitute, quæ vere sunt animate, vt passim scribit Arist. generatione ergo acquiritur esse animatum & non omni, quia non simplici, cui putredo opponitur, sed viuentis, quæ ex semine producitur. aut ex eo quod semini proportione respondet, cum quo etiam spiritus & calor in semine contentus & diffusus concurrit. An vero in nutritione calor cœlestis concurrat, quemadmodum aliquibus visum est, minime tractabimus, quoniam illum tantum in generatione rerum concurrere sit existimandum, sufficit enim ad alimenti assimilationem calor natiuus & insitus partium, nec externus aliquis requiritur, quemadmodum in coctione, in qua cooperari videtur, coctionemq. ipsam adiuuare: causa præterea ob quam animalia nutriantur ceteraq. viuentia dictum est esse, vt fiat restitutio eius, quod continuo in animatis corporibus dissoluitur, etenim cum non solum calor semper in humidum agat, sed corpora meatibus sint plena, iccirco fieri non potuit quin substantiæ continuus fluxus non

esset,

esset, corpora autem meatus habere oportuit, ne calor natiuus suffocaretur, nisi perspirabile corpus esset, calor refrigerari non posset, quemadmodum igni contingit, qui sub cineribus seruatur, quoniam perspiratio illius minime impeditur, videmus igitur in constipatione meatuum calorem accendi, natiuum in igneum mutari, ita vt febribus homines corripiantur. nec verum est, iccirco nutriri viuentia, vt calori resistant, quoniam possent viuentia immortalia reddi, relinquitur ergo verum esse id, quod diximus, nutritionem fieri, vt id quod dissipatum est, restituatur, continua enim actione caloris humidum radicale absumitur, donec marcore calor extinguatur, cuius extinctionem, mors naturalis in vltima senectute sequitur. Viuentia enim omnia, tamdiu viuunt, quamdiu nutriuntur, deficiente autem calore, qui alimentum assimilat, vt nutriantur fieri non potest, interit autem calor naturaliter. consumptione humidi radicalis, quo vita durante pabulatur, vita autem cum nihil aliud sit, quàm esse viuentium, erit nutritio data viuentibus ad esse seruandum, quemadmodum antea docuimus: & in hoc ab acretione discrepat, quæ cum ad quantitatem solum sit, iccirco non est necessarium, vt toto vitæ tempore duret, & si non absq. nutritione illam fieri contingat. quod si obesitas corporibus seu queuis alia additio per ætates accidat, non tamen est existimandum, hoc verum esse incrementum, quoniam maxime a, longitudine determinatur, atq. ad omnem dimensionem acretionem fieri sit opus: contingit præterea nequaquam per omnes ætates animalium corpora augeri, ob duas potissimum causas, altera quoniam partes solide duriores redduntur, ita vt extensionem minime admittant, altera autem quoniam calor natiuus continuo imbecillior redditur, ita vt non possit partes extendere, nec eam alimenti copiam assimilare, quæ nutritioni & incremento inseruiat: videmus enim ob id pueros maxime adolescere, cum solide partes in illis sint molles. valde, & calor natiuus validus, nec non quia plurimum alimenti conficiant, senes autem multis recrementis abundare, maleq. nutriri, ita vt eorum corpora gracilliora euadant & tabescant.

CAPVT PRIMVM SECVNDAE PARTIS PRIMI LIBRI,

in quo sermo de elementorum generatione proponitur, ac de alijs, de quibus agere, necessarium est.

BREVITER ea considerabimus, quæ ad tractationem hanc pertinent, quandoquidem nullius ferè sint momenti, quæ ab Antiquis hactenus accepimus: ea igitur tantum explicabimus, quę ad veram tactus actionis atq. passionis doctrinam conducere putamus, eorum enim quorum institutio quodammodo, & veluti per accidens proponitur, minime ea ratio haberi debet, qua in ceteris vti solemus, quæ primum explanare instituimus: quorum sane tractationem iccirco suscipere cogimur, propterea quòd hoc opere materiam communem propriamq. corporum omnium generabilium & corruptibilium tradere instituerimus, sine qua fieri non potest vt mutationum causas assequamur, de quibus priore libro differere polliciti sumus, materia enim de qua libro primo phy. auscultationum egimus, minime propria est eorum, quæ ortui interituiq. sunt obnoxia, sed illis cum sempiternis corporibus comunis, cui elementa nisi succederent, mistorum corporum generatio nec non corruptio nequaquam fieret, nec non alie mutationes, quæ ortum atq. interitum sequuntur.

43 Cum ergo causas earum mutationum toto hoc opere necessarium sit tradere, a materiali initium facere oportet, At quedam cum sint, quæ elementorum considerationem antecedunt, nec non quæ ad eam plurimum conducunt, in quorum numero est mistio, ipsum facere, pati, nec non tactus, sine quibus nihil de elementis recte doceri potest, presertim si sint, an non sint, & vtrum sempiternum vnumquodq. aut fit aliquo modo, & si fit, vtrum ex se inuicem fiant omnia eodem modo, aut primum vnum ipsorum. Antiqui, qui de generatione rerum loquebantur, cum rerum principia facerent, ipso agere & pati vti videbantur, cum congregatione segregationeq. omnia generarent, nec non mistionem introducebant, cum nihil aliud mistio esse videatur, quàm miscibilium congregatio quædam, cum autem absq. tactu nihil vere agere patiq. videatur, nec non misceri, iccirco de tactu primum sermonem facere oportet: etenim Antiquos, qui plura principia ponunt, omnia hæc introducere dubium non est, cum congregatione generent, segregatione vero corrumpant, illos autem, qui vnum tantum principium esse dixerunt, actionem & passionem admittere, Diogenes inter ceteros testatur, qui nisi omnia ex vno essent, voluit, nullo modo fieri posse, vt inuicem agant & abinuicem patiantur, non enim frigidum in calidum ageret, nec ab eo pateretur, quoniam impossibile sit, alterum contrarium in alterum mutari, quod vero mutatur est subiectū, quod contrarijs subijcitur, quod patiens cum sit, necessarium est, vt aliquod agens simul adsit, a quo patiatur, quare secundum eos, qui vnum tantum principium faciunt, actionem

cum

cum passione introducere oportet, ita vt vere enuntiare possimus, vbi actio & passio reperitur, ibi vnum subiectum & comune existit, & econuerso, quod tamen in omnibus veritatem nequaquam habet, sed in his solum, quæ apta sunt adinuicem agere & pati, cuius generis corpora inferiora & caduca esse dicuntur, quæ materiam vnam et eandem secundum rationem, subiectumq. habent, in cœlestibus & inferioribus, cum non eadem materia secundum rationem habeatur, iccirco fit, vt illa cum in hæc agant, nihil patiantur, in cœlestibus enim contrariorum susceptiua nequaquam est, quemadmodum libro 12. Metaphy. docuimus, quoniam corporibus cœlestibus, materia nulla insit, quæ potentiam contradictionis habeat, adesse videlicet & non esse, sed tantum ad vbi: recte igitur de tactu, de ipso agere, & pati, deq. mistione considerabimus, antequàm libro secundo huius operis, elementorum tractationem exordiamur, prout quatuor primis qualitatibus formata, omnium mutationum causæ sunt, quæ in generabilibus corruptibilibusq. corporibus apparent: inter hæc autem tactus primum cum occurrat, propterea quòd in naturalibus corporibus actio & passio cum mistione absq. tactu fieri nequeant, a tactu tractationem propositam auspicabimur.

CAPVT SECVNDVM
de tactu.

CVM autem determinauerimus, a tactu auspicandum esse, quoniam nomen
44 quoddam multiplex & ambiguum esse videatur, in primis operepretium est, vt multiplicem illius notionem aperiamus, ne ambiguitas dubitationem aliquam adferat; Cum autem ea, quæ multipliciter dicuntur, aut æquiuoca aut analoga sint, equiuoca ea dicuntur, quæ comune nomen habent, ratione autem distinguuntur, quibus vnuoca opponuntur, quæ & nomine & ratione nõ separãtur, inter quæ medium locum analoga obtinuerunt, quemadmodum lib. predicamentorum docuimus, hæc autem ea sunt, quæ ab vno & ad vnum dicuntur, vel quæ secundum prius & posterius de ijs, quæ diuersa sunt, dicuntur: cuius generis ens est, quod analogice de substantia & accidente predicatur, cum per prius de substantia, per posterius autem de accidente, dicatur: hæc enim equaliter ente minime participant: Tactus ergo cum sit nomen quoddam analogum, quoniam per prius de vero tactu proprieq. dicto dicatur, qui quidem solum in naturalibus corporibus reperitur, quæ in materia communicant, ita vt mutuo inter se agant & patiantur, per posterius autem de alio tactus genere dicatur, cuius generis ea species esse fertur, qua cœlestia corpora hæc inferiora tangere dicuntur, cum in ea agant: iccirco hoc loco non de quocunq. tactu pertractare, intendimus, sed tantum de tactu vero, sine quo actionem & passionem in mortalibus fieri, minime contingit. Itaq. de eo vt commode agamus subijciendum in primis est, tactum proprie dictum in his tantum reperiri, quæ positionem habent, positio-

nem vero ea habere, quæ in loco esse dicuntur, quoniam quæcunq. in loco non sunt, positionem habere minime videantur, erit igitur tactus verus eorum corporum, quæ in loco exstiunt, cuius generis sunt corpora quanta naturalia scilicet & mathematica, verius tamen erit corporum naturalium, quoniam maxime sint in loco, quemadmodum libro 4. phy. partic. 5. docuimus mathematica enim non sunt in loco determinato quemadmodum naturalia, quoniam secundum positionem ad nos dextrum & sinistrum habeant, vt intelligatur ipsorum positio, non habentia natura vnumquodq. quemadmodum naturalia corpora, in quibus non solum positione sed etiam potentia differentie loci reperiuntur: quæcunq. igitur alicubi sita sunt, cum positionem habeant, tactum admittunt, mathematica autem corpora eo modo se tangere dicuntur, quo & habent esse, habent autem in intellectu, sic igitur & positionem habent, & illa tangunt se mutuo, dicimus enim lineam lineam tangere, aut superficiem, aut circulum, aut aliquid aliud, quare videntur mathematica in loco esse, tactumq. habere, siue sint in naturalibus corporibus, siue non, non enim a, quantitate separant, & si qualitatibus careant, propter quas naturalia corpora loca determinata habent, vt ignis leuitate sursum, terra grauitate deorsum, separata igitur etiam locum habent mathematica corpora, cum quantitate sint definita, quemadmodum naturalia: etenim a quantitate corpus omne habet vt sit in loco. Si ergo in loco sunt, quemadmodum naturalia, cum positionem habeant, necessarium est, vt sese tangant, quod quidem hoc modo se habere, ex definitione eorum, quæ se tangere dicuntur, apparebit, quam lib. 5. phy. attulimus: ea enim se tangere, diximus, quorum contingit, extrema simul esse, cum autem eorum, quæ positionem habent, extrema sint simul, manifestum erit, quæcumq. positionem habent, etiam tactum admittere, ex quibus patere arbitror, quæcunq. proprie se tangere, quæ determinatas magnitudines & positionem habentia, extrema simul habent: Nam tactus duorum saltim cum sit corporum, necessarium est vnumquodq. corpus, propria superficie circumscriptum esse, positionemq. propriam habere, simul autem solum eorum vltima esse: quæ enim omnino separata non sunt, & continua, vltima non habent, sed connata: iccirco tactus in numeris nequaquam reperitur, quia situm non habeant, nec non in vnitatibus, quoniam extrema non habeant, quæ simul esse valeant: Deinceps verò esse numeris & vnitatibus competit, est enim quid magis comune ipsum deinceps sequi, quàm sit ipsum tangere, quare in numeris atq. vnitatibus esse potest, quę ratione sunt priores magnitudine, vnitati enim & numero situs si addatur, punctum resultabit, & magnitudo, punctum autem si vnitati, magnitudo vero sinumero, quoniam situ solum punctum ab vnitate discrepare dicatur, iccirco punctum concretum quoddam est, vnitas vero simplex: est enim punctum vnitas situm habens, ita etiam magnitudo numerus quidam est cum situ, quę fit vt Geometriam, quæ circa magnitudines versatur, & puncta, scientiam ex additione in lib. poste rio-

rum

rum esse dixerimus, Arithmeticam verò non ex additione: sunt ergo numeri magnitudinibus ratione priores, magnitudo enim numero definitur, vt linea, quæ magnitudo quædam est vna constans dimensione, superficies duabus, corpus vero tribus. Deinceps sequi ipsum tangere antecedit, quoniam numeris conueniat, tangere verò non nisi magnitudinibus, quæ enim se tangunt, opus est situm habere, quoniam eorum extrema simul esse dicuntur, quæ in vno & primo sunt loco, quod numeris nequaquam competit. Tangere præterea continuo magis est commune, latius enim patet simul esse, quam vnum fieri, siquidem quæ vnum sunt, simul esse necessarium sit, non autem quæcunq. simul sunt, vnum esse, lapis & lignum simul esse possunt, cum tamen vnum non esse appareat. Tangere ergo separatis magnitudinibus & punctis sui natura nequaquam inest, sed quatenus per illa lineę se tangunt, non enim puncta secundum se extrema habent, quæ simul esse possint, nec etiam tactus eorum est, quæ continua sunt, quoniam eorum extrema vnum fiunt, non autem diuersa manent. Cum autem ea se tangere docuerimus, quorum extrema sunt simul, res hæc postulat, vt etiam doceamus, quid nam sit ipsum simul. Etenim simul omnia esse dicuntur, quæ in vno sunt loco & primo, qui quidem locus proprius sit, non autem communis, quoniam in loco communi vt in cœlo omnia simul esse, dicantur, quod quidem ita esse, ipsum separatim indicat, separatum enim esse habent quæcunq. sunt in loco altero, dicuntur autem primo in vno loco, quæ simul sunt esse, quoniam duntaxat locum illum occupent, nec aliquid in eodem loco inter ea medium reperitur, quemadmodum Sphęre cœlestes stellarum errantium simul sunt, & in vno primo loco, videlicet in Sphęra inerrantium, quia non sunt ita in ea Sphęra, vt in quo loco vna sit, reliquę omnino sint positę, vt easdem loci occupent partes, sed quia nihil inter ea medium est, vt nec quidem aer, erit ergo ipsum tangere eorum corporum, quorum extrema sunt simul, quæ quidem diuersa sunt, non vnum veluti in continuo, in quo partes non sunt distincte magnitudine, sed potentia existentes in toto: Duas enim potissimum proprietates illis ineśse oportet, quæ quidem se tangere dicuntur, altera vt magnitudinibus distinguantur, ita vt distincte magnitudines per se actuq. existentes sint, altera autem vt secundum earum vltima simul sint, seq. tangant, ita vt preter tactum, aliquid relinquatur, quæ profectò in naturalibus corporibus sunt conspicua, quoniam vltima eorum in tactu simul sint, quod mathematicis nequaquam adest, cum eorum vltima potius superponi dicantur, cum vnum euadant, ac ipsi continuo assimilentur, quod minime in tactu naturalium corporũ accidit, quorum vltima simul sunt, actuq. separata & diuisa, ita vt ex simultate illorum continuum minime producatur, vnde temporis partes secundum veritatem se tangere nequaquam videntur, sed sese consequi, intellectus enim est, qui tempus diuidit in partes actu separatas, quod ex arte eorum, qui horologia fabricant, constare potest: est igitur tactus proprie dictus & verus illorum tantum corporum, quorum extrema sunt simul, inter quæ etiam

nullum

nullum medium datur, ita vt ex eis minime resultet vnum totum quoddam & continuum, quemadmodum ex partibus, quæ potestate in continuo continentur: Ignis itaq. cœlum tangit, cum inter cœlum Lunæ & ignem nullum sit, corpus sint q. hæc duo corpora actu separata. Nec proprietates allate ad verum tactum sufficiunt, tertia enim adhuc requiritur, cum eorum tantum sit corporum, quæ mutuo agere patiq. solent, cuius generis sunt corpora omnia, quæ propter eorum qualitates non nisi in loco determinato esse habent, sursum scilicet aut deorsum, & quæ in ipsa materia comunicant, quemadmodum in sequentibus ostendemus: erit igitur tactus proprie dictus, de quo modo sermonem facere instituimus, naturalium corporum, quæ preter locum & positionem, agendi patiendiq. facultatem habent, cum omnia quæ in materia comunicant, non solum sint mouentia, sed etiam mota. Nec aliquam ambiguitatem Sphæræ relinquunt, quæ sunt intra firmamentum, cum sint in loco, & sese tangant, non tamen adinuicem agant & patiantur, quoniam hic tantum de tactu generabilium & corruptibilium corporum nobis est sermo, quem contrarie qualitates efficiunt, in lib. enim physicorum de tactu, qui etiam Sphæris cœlestibus conuenit, pertractauimus, in quo duę priores proprietates habentur, tertia autem minime, quæ quidem solum tactui corporum generabilium & corruptibilium competit, quæ in loco determinato cum sint, sursum scilicet & deorsum, ob eorum qualitates, adinuicem agere patiq. possiunt, quod in mathematicis corporibus minime locum habet, quæ quantitatem tantum habent, nec non in Sphæris cœlestibus. Quod ex his, quæ alibi suppositimus, comprobare possimus, in lib. enim physicarum auscultationum duplex mouentium genus reperiri, ostendimus, alterum mouens non motum, alterum verò mouens motum, ita vt non sit necessarium, omne mouens motum mouere, quod quidem si verum sit, fieri etiam poterit, vt non omne agens in agendo patiatur, in plus enim se habet mouens, quàm agens, quoniam Deus mouens sit immobile, non autem agens, quemadmodum Plato existimauit, quare agens & mouens differunt ipso vt ita dixerim magis comuni, & minus comuni, in plus enim est ipsum mouere quàm sit ipsum agere, quod ita esse, ipsum pati ostendit, Etenim pati si nihil aliud est, quàm secundum qualitates mutari, ipsum agere nihil profectò aliud erit, quàm secundum qualitates aliquid mutare, mouentia enim secundum qualitates minime mouere dicuntur, veluti cœlum, quod hæc inferiora mouet, nec non Deus, qui non est causa agens, sed tantum mouens, cum omnia ab eo in genere causę finalis dependeant, vt lib. 12. Metaphy. ostendimus. Duorum enim generum cum sit mouens, quemadmodum libro physicorum 8. docuimus, alterum corporeum, alterum verò incorporeum, corporeum vnum non est, quoniam alterum secundum propriam formam monet, quemadmodum id, quod in materia communicat cum eo, quod ab illo mouetur, cuius generis quatuor sunt elementa, in his autem actio & passio sine contactu vero fieri non potest, alterum verò agens illud est, quod in materia

cum

eum eo, quod patitur, minime conuenit, quod secundum virtutem non autem secundum formam agit, cuius generis corpus cœleste existit, quod motu & lumine agit in hæc inferiora, agens igitur vere tantum de corporeis dicitur, mouens autem tum de corporeis tum de incorporeis: Deus enim mouens quoddam est incorporeum, quod si ita sit, satis patere poterit, quantum contulerit huic tractationi discrimen agentis & mouentis allatum, tangunt igitur ea mobilia, quæ mouendo mouentur, non autem ea, quæ mouendo immobilia permanent: cœlum enim & si hæc inferiora moueat, quoniam ab illis non moueatur, iccirco tangens vere nuncupari non potest, agens enim quoddam potius est, quod secundum virtutem agit, veluti magnes, quæ ad se ferrum trahit, elementa verò, quæ secundum formam vicissim agere patiq. videntur, vere tangentia nuncupantur. elementa verò, quæ secundum ipsam formam vicissim agunt & patiuntur, vere se tangere dicuntur: vnde imago & conuitium proprie animam minime tangunt, quoniam ab ea non repatiantur: plures igitur sunt modi ipsius tangere, quoniam si communem illius notionem acceperimus, quam libro 4. phy. attulimus, erit ipsum tangere eorum omnium, quæ positionem habent, & quorum extrema sunt simul, quo sane modo non solum naturalia corpora, sed etiam mathematica tactum habent; secundum autem significatum ipsius tangere dicitur, eorum esse, quæ facultatem mouendi habent ea, quæ ab illis mouentur, in quo quidem significatu mathematica tactum non habebunt, sed tantum naturalia corpora, tum eterna, vt cœlum, quod mouet, tum mortalia, quæ ab illo mouentur. tertium ipsius tangere significatum, quod propriissimum dicitur, eorum tantum est corporum, quæ tum mouendi tum moueri potentiam habent, quoniam agere patiq. valeant, in quibus cœlestia non connumerantur, sed generabilia et corruptibilia solum, quæ agendo repatiuntur, cum in materia comunicent mouentia cum motis. Quare tactus proprie & vere cum illis tantum insit, quæ agere patiq. possunt, efficitur, in pluribus corporibus, vt videamus ipsum tangens tangere id, quod tangit: quæcunq. enim in naturalibus corporibus mota sunt, etiam mouendi facultatem habent, quod de generabilibus & corruptibilibus corporibus intelligi volumus, propterea quòd ea solum in materia, quæ eadem numero sit, comunicent, quare cum tanguntur, etiam tangunt: ignis enim aerem tangit, ab aere q. tangitur, ita vt non solum agat, sed etiam patiatur, mouentia enim omnia quæ contramouentur, ea sunt, quæ vere tangere dicimus, in quibus igitur mouentia non contramouentur a, motis, ipsa quidem tangunt, quę mouentur, mota verò mouentia non tangunt, ita vt cœlestia ea, quæ sunt hic, tangant, hæc verò illa non tangant, & conuitium conuitiatum tangat, a quo tamen non tangitur: quæ ergo proprie tangunt, tangentia tangunt, quoniam & mouentia cóntramouentur, quæ verò non proprie tangunt, non tangunt tangentia, quoniam etiam mouent non contramota. de tactu autem, qui in naturalibus corporibus reperitur, sine quo actio & passio fieri nequeunt, hæc sint dicta.

Caput

CAPVT TERTIVM, ANTIQVORVM opiniones, quæ sint ea, quæ agunt, & patiuntur, ac earum confutatio.

ABSOLVTA tractatione eorum, quæ ad tactus considerationem perti-
46 nebant, reliquum est, vt de ipso facere deq. pati agamus, quę in naturalibus corporibus absq. contactu fieri non possunt, cuius doctrinam iccirco prepositumus, quoniam actionis passionisq. ratio, quam mistio consequitur, absq. tactu haberi nequeat. De ipso autem facere deq. pati ab Antiquis philosophis nonnulla tradita sunt, a quibus si illius tractationem auspicabimur, recte feciſſe videbimur, cum parum ab his dissentiant, quæ de illis traditurí sumus: vtriusq. enim causas explicare cum oporteat, sub contrarios ab Antiquis sermones accepimus, cum eorum alij a, simili tum actionem, tum verò passionem prouenire, dicerent, alij autem a, dissimili, plurimi eorum in eo conueniunt, quòd a, simili actio & passio fieri nequeant, quoniam quæ similia sunt, eadem sint, quæ inter se agere patiq. non videntur, quoniam sequeretur, vnum & idem in seipsum agere, quod est absurdum, in similibus ergo videtur, quòd alterum altero non sit magis actiuum, quàm passiuum, cum eadem vtriusq. sit potentia, a qua actio aliqua prouenire non potest, quæ proportionem maioris inequalitatis semper consequitur, in contrarijs ergo & dissimilibus plurimi actionem cum passione saluabant, quorum eadem non est potentia, sed inequalis, ita vt cum iguis minimus a, magno corrumpitur, hoc eueniat, quoniam viribus non sint equales, quod contrarietatem
47 efficit. Democritus autem preter alios visus est, contrarium asserere, a, simili actionem atq. passionem solum prouenire, quia dulcedo nihil in nigredinem agat, nec grauitas in calorem, quorum nulla est comunicatio, aut similitudo. videmus
48 ignem potius agere in sicca, quàm in humida, quæ cum eo nihil conueniunt. Hi enim sunt sermones, quos ab Antiquis accepimus, qui partim veri sunt, partim autem falsi, ita vt subcontrarij existant, sunt enim quæcunq. agunt adinuicem et patiuntur, partim similia, partim verò dissimilia, quoniam actio & passio cum absq. contactu, in naturalibus corporibus fieri nequeant, atq. eorum vere sint, quæ in materia comunicant, erunt eorum quæ secundū materiam sunt similia secundum verò formas dissimilia, quoniam hæc sint contraria, & viribus saltim dissimilia, subcontrarios ergo sermones ab Antiquis accepimus de ipso facere et pati, cum verum sit dicere, agentia & patientia similia esse, atq. etiam dissimilia fore secundum diuersas rationes: causa verò ob quam contrarios sermones Antiqui protulerint, ea mihi videtur, quoniam ad partem eorum, quæ agunt & patiuntur, non autem ad totum respexerunt, cum totum inspicere oportuisset, retinuera enim agentia & patientia nec omnino altera, hoc est diuersa sunt, nec omnino eadem, sed partim similia, partim verò dissimilia, secundum genus videntur similia, secundum speciem diuersa & contraria, quod Antiqui cum non intelligerent, alij eorum a, simili, alij verò a dissimili actionem & passionem prouenire

re

ve dixerunt, quod minime verum esse, primum hoc pacto demonstrari facile potest, quoniam in similibus alterum altero nihil magis actiuum est, aut passiuum, oportet enim agens actiuam potentiam habere, patiens autem passiuam. quę verò similia sunt, cum equalem potentiam habeant, nullum eorum magis actiuum quàm passiuum nuncupari potest, nec solum hoc sequetur incõmodum, sed etiam alterum, aliquod ens a seipso pati, quo posito, sequetur maius incommodum, nullum dari ens sempiternum, & incorruptibile, similiter & immobile, quemadmodum libro phy. 8. ostẽdimus: Agere enim cum sit aliquid mouere, si quippiam in seipsum agendi facultatem habeat, etiam seipsum mouendi facultatem habebit, quod si aliquis concesserit, omnino nullum ens dabitur, quod sit immobile, atq. falsa erunt, quæ lib. 8. phy. docuimus, omne quod mouetur, ab alio moueri, atq. nihil seipsum mouere, sed secundum aliam & aliam partem, vt animal, quod alio mouet, alio verò mouetur, anima enim mouet, corpore autem mouetur. & quod non omnia mouentur, sed sunt immobiles causæ, ne in mouentibus detur processus in infinitum: vnde Deus, qui est primum mouẽs, omnino est immobilis, 49 ita vt nec per se nec per accidens moueatur. Quod etiam ab his, quæ omnino dissimilia sunt & contraria, actionem & passionem minime prouenire contingat, ea quæ omnino altera sunt & diuersa ostendunt: nam cum libro primo phy. constitutum sit, non quodlibet agere in quodlibet, nec etiam pati, sed determinatum agere in determinatum, & pati a determinato, fieri non potest, vt quæ omnino dissimilia sunt, inter se agant & patiantur, non enim albedo a, linea patitur, aut linea ab albedine, nisi secundum accidens, vt si lineam nigram esse contigerit, in hac enim mutatione linea manet propriamq. naturam seruat, quemadmodum superficies alba cum denigratur. actio igitur & passio erunt eorum, quæ in eodem genere sunt contraria, secundum eorum formas, siue talia sint extrema, siue media, quare actio & passio erit inter album et nigrum aut rubeum, quæ in genere coloris opponuntur, similiter dulcedinis & amaritudinis, quæ in genere saporis contrarias qualitates obtinuerunt.

CAPVT QVARTVM QVID SIT IPSVM
Agere & pati. quæ sint ea, quę vere agunt & patiuntur. propter quid & quomodo.

QVOD si ita fuerit, erit actio & passio partim eorum, quę sunt similia partim vero eorum, quæ sunt dissimilia: quoniam omnia quæ inuicem agendi & patiendi facultatem habent, sint contraria, vel contrarietatem habere oporteat. 50 Quoniam non quodcunq. sit aptum agere in quodcunq. sed determinatum in determinatum semper agit, hæc autem sunt contraria, quare actio & passio erit non solum eorum, quæ sunt similia verum etiam eorum, quæ sunt dissimilia, id est quod agit, erit partim simile, partim dissimile, simile propterea quòd contraria semper in eodem genere posita sint, dissimile autem quia specie & forma ipsa

contraria sunt diuersa & alia, vnde si quispiam talem componat silogismum, recte ratiocinari videbitur, agentia & patientia sunt contraria, contraria quodammodo eadem sunt, genere videlicet, quodammodo diuersa specie scilicet, veluti album & nigrum, igitur partim similia partim vero dissimilia erunt, ipsum agens & patiens. agentia autem & patientia contraria esse, ita ostendi potest, si quispiam id requirat, agentia & patientia sunt partim similia, partim verò dissimilia, hæc autem sunt contraria, igitur agentia & patientia sunt contraria, est enim hæc demonstratio reciproca, antea enim ostendimus ex ipsa contrarietate, agentia & patientia partim esse similia, partim verò dissimilia, nunc verò ex eo quòd sunt, tum similia tum dissimilia, probamus agentia & patientia con-
51 traria fore. Quod ita esse alia ratione ostendere possumus. Nam generatio & corruptio si est in contrarijs, necessarium est, actionem & passionem in ipsis contrarijs etiam esse, in plus enim se habent generatio & corruptio, actione et passione, omnis enim actio & passio generatio aut corruptio quædam esse videtur: quoniam generatio nihil aliud sit, quàm mutatio eius contrarij in quod alterum agit, ignis agens in aquam, illam in suam naturam mutat, hoc autem est generatio, agens & ipsum agit in passum, vt illud mutet, & sibi assimilet, quare videtur quòd actio sit quædam generatio: manifestum igitur est agere & pati fieri tum a simili, tum a dissimili, a simili in genere, qui a color agit in colorem, a dissimili in forma, quoniam actionem & passionem in ipsis solum contrarijs saluari videamus: nisi in generibus essent contrarietates nulla mutatio fieret: in cœlo igitur in quo nulla cõtrarietas apparet, nulla fit alteratio, sed tantum motus ad locum, in inferioribus corporibus, quę qualitatibus cõtrarijs affecta sunt, multe
52 fiunt alterationes. His autem rationibus quibus rem ita se habere ostendimus, postrema addi potest, quam ex vsu comuni hominum accepimus: etenim vsus communis hominum quandoq. ad ea quæ sunt similia, actionem & passionem referre solet, quandoq. autem ad ea quæ sunt dissimilia, in omni actione & passione cum subiectum & contrarietas requirãtur, quandoq. ipsi subiecto agere & pati tribuimus, quandoq. verò alteri contrariorum, dicimus aliquando hominem, qui subiectum est, sanatum esse, quandoq. verò ipsum morbum, qui contrarij rationem habet. similiter calefieri quandoq. dicimus ipsum calidum, quod subiecti rationem tenet, quandoq. ipsum frigidum, quod calido est contrarium: in actione etiam quandoq. subiectum agere dicimus, vt hominem calidum, quandoq. ipsum contrarium, vt calidum, qui igitur ad subiectum aspexerunt, a simili actionem & passionem fieri putarunt, qui vero ad contrarium, ab ipso dissimili, cum tamen vtrumq. dicere sit verum, quoniam non in subiecto solum, aut in contrario, actio & passio saluatur, sed in vtrisq. quare tum a simili tum a dissimili agere et
53 pati contingere, indubitatum est. His autem hunc in modum declaratis, operepretium est, vt quænam vere dicantur agentia & patientia, & quomodo nam se habeant, declaremus, quod quidem commode prestabimus, si primum quo-

modo

modo se habeant mouentia, & quæ mouentur, indicauerimus: Nam quemadmodum se habuerint necesse etiam est, se habere agentia & patientia, uniuersale magis vt antea admonuimus est ipsum mouens, quàm agens: Cum autem dupliciter mouens dicatur, opus est, vt agens etiam dupliciter dicatur, quemadmodum in predicamentis docuimus uidelicet quæcunq. de aliquo, vt de subiecto dicuntur, quęcunq. de predicato dicuntur eadē et de subiecto hoc dicentur. quęcunq. igitur insunt ei, quod mouet & mouetur, hæc etiam agentibus & patientibus inerunt, Itaq. cum duplex sit mouēs, primū quod immobile est, et non primum, quod moueri potest, eodem pacto duplex erit ipsum agens, primum quod quidem in agendo minime patitur, & non primum, quod in agendo etiam patitur, ab eo, in quod agit: primum enim mouens illud est, in quo est primum principium ipsius motus, & tale immobile esse dicitur, quemadmodum Deus, a quo omnia mouentur, cetera mouētia quibus Deus vtitur, in eius actione, dicuntur non prima, & hæc non possunt mouere, quin moueantur, similiter anima si imagini comparetur, est mouens motum, mouet illa corpus, & per accidens ab eo mouetur, imago autem animam mouet, ipsa tamen minime mouetur, calidum etiam innatum si animæ comparetur, non erit primum mouens, quoniam ab anima moueatur. quare cum mouet membra corporis, etiam mouetur. in agentibus ergo dabitur primum agens, quod non repatitur ab eo in quod agit, & quod ab eo repatitur, nam ars medicatiua, quæ est primum agens in sanatione egrotantis ab eo, minime repatitur, medicamentum autem quod est agens secundarium, ab eo patitur, quoniam actuatur a, calore illius, antequam in egrotantem agere possit: Verum igitur agens illud est, quod in agendo etiam patitur, huiusmodi autem est omne id, quod in materia cum patiente comunicat: ctenim medicamenta in materia cum corporibus humanis conueniunt, constant enim illa etiam ex quatuor elementis. Scientia vero artis medicæ cum non comunicet in materia cum egrotante, ab illo minime repatitur. ex quo etiam fit, vt cœlum agendo in hæc inferiora ab illis minime repatiatur, elementa autem inter se semper vicis-
54 sim agendi & patiendi facultatem habeant. Quæcunq. igitur actiuorum non habent formam in materia, hæc quidem sunt impassibilia, quæ autem illam in materia habent passibilia erunt. verum igitur agens illud est, quod in materia cum patiente comunicat, quod in agendo repati cernimus, aqua in ignem agens ab eo repatitur, quia materiam cum igne comunem habeat. Materiā autem habent omnia oppositā & contraria eandē, est enim vna & eadem materia prima vt vtrumq. contrarium suscipiat, quod enim potestate calidum est, actu frigidum existens, admoto calore, potest calidum fieri: quæcunq. ergo talem habent materiam, quę sit genus subiectum contrariorum, talia dicuntur passibilia, quæ vero illa carent impassibilia. Ignis ergo cum habeat formam in materia, quæ potestate frigida est, agens in aquam, ab illa repatitur, cœlum autem cum non comunicet in materia cum illis inferioribus, in illa agendo impassibile ma-

uet. Quæ verum agens non dicitur & primum, sed remotum, in mouentibus
35 autẽ Deus est remotum, immediatum autem cœlum, quod a Deo mouetur. Nec quodcunq. quod mouere videtur agens dicitur, sed tantum ipsum efficiens, nam forma et finis, etiã si videantur esse causa motus, non tamen agentia nuncupantur, propter sanitatem mouetur Medicus ad curationem, quæ tamen non est verum efficiens, sed tantum secundum translationem, quoniam scientia sanitatis, quæ est in mente Medici, dicitur causa sanitatis, quæ introducitur in egrotante, altera aut ab altera discrepat, quoniam sanitas, quæ est in mente Medici, dicitur effectiua causa, quæ verò in egrotante inducitur, causa finalis vocatur, quare sanitas quæ est finis, non est principium agens, & si videatur quodammodo principium. vnde motus: similiter forma in naturalibus, non est agens, quia forma in materia introducta quemadmodum fine acquisito, cessat ipsa alteratio, quam verum agens, efficit, presente agente, adhuc aliquid fit in materia, presente autem fine aut forma, nihil fit, quoniam iam est id, quod fieri debet perfectum. Deus etiam si videatur prima causa rerum, attamen non est agens, cum non sit causa effectiua, sed tantum finalis. separatæ formæ agentia non dicuntur, sed tantum ille quæ materiam habent, vt ignis qui calorem in materia habet, erit igitur verum agens id, quod in materia comunicans cum passo, immediate in ipsum agit, atq. in agendo ab ipso patiente repatitur, hoc autem est omne contrarium, cum in suum contrarium agit.

CAPVT QVINTVM VARIE ADDVCVNTVR Antiquorum opiniones, quo pacto fiant agere & pati earumq. examinationes ac confutationes.

QVATVOR erant explicanda de ipso facere & pati, quorum tria ex-
36 planauimus, in quibus nam reperiantur, a quo nam procedant, nec non quid nam sint, quartum igitur relinquitur pertractandum, quod ad modum pertinet, secundum quem vtrumq. fieri dicitur: de quo quidem agere cum sit difficile, Antiquorum in primis sententias examinabimus, vt verum modum, quo fieri solent commodius assequamur: Due autem sunt precipue de re hac sententiæ, quarum alteram Empedocles, alteram verò Democritus & Leucippus introduxerunt. Empedocles enim, quem Antiquorum plurimi sequuti sunt, existimauit, vnumquodq. quod patitur, per quosdam meatus pati, nec non quicquid agit, per eos agere, quandoquidem agens sit necessarium permeatus corporis, quod patitur aditum habere, quo quidem modo ipsum videre atq. alios sensus fieri dixerunt, quod in perspicuis corporibus patet, vt in vitro & aqua. per quæ melius videmus, cum ordinatos magis atq. plures meatus habeant, per quos radij visini pe-
37 netrant, aut res, quæ videntur visui occurrunt. Democritus autem cum Leucippo ipsum agere et pati per vacuum fieri crediderunt: Etenim alterationem atq.

incrementum vt saluarent, atomos corpora indiuisibilia inuexerunt, ex quorum concursu res generabant, eorum vero ordine situq. mutatis alterabant, preter atomos autem vacuum posuerunt vt entium multitudinem, nec non corporum motum saluarent, non enim vacuo separato non existente, aliquod corpus moueretur, nec multa essent, si vacuo non separarentur, corpora ex atomis constituta. in quo Democritus & Leucippus maiorem laudem merentur, quàm Melissus & Parmenides, qui motum entiumq. multitudinem negarũt, cum ens vnũ illudq. immobile dixerint, quod naturalibus principijs repugnat, in quibus motum entiumq. multitudinem saluari libro primo phy. docuimus: Etenim secundem Parmenidem et Melissum, cum vacuum non ens esset, vacuo sublato motum cum multitudine entium tolli opus erat, quoniam diuisio entium, ad quam multitudo sequitur, absq. vacuo fieri non potest: motum autem tolli vacuo non existente, ita probare nitebantur, quoniam quod mouetur, necessarium sit, aut in vacuo, aut in pleno moueri, in pleno si moueretur, penetratio corporum daretur, in vacuo autem cum non sit, quoniam quidquid est preter ens, sit non ens, in illo nequaquam mouebitur. Democritus verò cum Leucippo, cum vacuum admitterent, motum cum multitudine entium saluare possunt, nec non actionem & passionem, quam per vacuum fieri volebant: quare maiorem laudem merentur Democritus & Leucippus, quàm Melissus & Parmenides, qui vnum tan-
§8 tum ens, illudq. immobile fecerunt, quod naturalia principia destruit. Quod si quispiam dixerit, necessarium non esse vacuum ob diuisionem corporum, quia nihil prohibet & diuisionem, & rerum motum esse, diuisarum quidem sed se tangentium, & non per vacuum distinctarum, hoc nullius est in Parmenidem & Melissum momenti, quoniam secundum eos continuum aliquid esse, & tangens eadem erant, quia continui partes in continuo se contangant, ita vt entia multa absq. vacuo esse non possint: cum autem vacuum non sit, quod est non ens, iccirco cõtingit ens vnum esse, atq. immobile, quemadmodum ex illorum sententia lib. primo phy. docuimus, quod autem contiguitas non possit entium multitudinem saluare, hoc pacto Parmenides et Melissus ostendere conabantur, quoniam erit necessarium ipsum contiguum vel omnino esse diuisibile, vel indiuisibile, si omnino fuerit diuisibile, non solum multa entia non erunt, sed etiam nec vnum ens dabitur, quoniam si omniquaq. diuidatur, ad nihil diuisio procedet, solumq. vacuum dabitur, si verò fuerit ipsum contiguum non omnino diuisibile, sed secundum quasdam partes diuisibile, secundum quasdam indiuisibile, hoc erit simile figmento, quoniam nulla ratio adferri potest, ob quam alique partes totius sint indiuise, & plenum habeant, alique vero diuise, quæ vacuum habeant. Amplius videtur hoc impossibile, propterea quòd sequeretur, motum non esse, quoniam impossibile sit aliquid moueri, nisi per vacuum, quod si auferatur, non erit motus, quemadmodum nec entium multitudo. Ex his igitur rationibus, quæ sensum transcendunt, nullamq. illius rationem habent, Parmenides & Melissus

ipsum

ipsum omne, hoc est vniuersum, vnum tantum esse dixerunt, illudq. immobile, et infinitum, quoniam omne finitum necessarium sit ad vacuum terminari, ita enim de veritate, coacti fuerunt ratiocinari, cum de intelligibilibus loquerentur, in quorum consideratione, ratione non autem sensu utebantur, cum enim de sensibilibus agerent, multitudinem entium introducebant, quia calidum & frigidum principia rerum faciebant, quemadmodum libro primo phy. ostendimus.

59 His enim rationibus, in his, quæ de ente & vno scripserunt, utebantur Parmenides & Melissus, qui quidem digni sunt reprehensione, cum in ueritate rerum, non solum rationes sint spectandę, sed cum illis res, quas consideramus, quod si ita sit, sensum contemnere minime oportet, quoniam qui sensum omittunt, non solum insani videntur, sed etiam ipsam insaniam superare, nemo enim ita demens est, qui ignem & aquam vnum & idem esse dixerit, cum ergo sensibus omnes entium multitudinem & diuersitatem comprehendamus, insaniam profectò videtur hæc opinio superare, quæ vnum tantũ ens esse profitetur, quia insani circa sensus non decipiantur, sed tantum circa rationem sunt enim similes ita dicentes his, qui solum bona apparẽtia, propter assuetudinem admittunt, non autem ea,

60 quæ vere sunt bona, quod non nisi ob insaniam contingere potest. Maiorem igitur laudem Leucippus meretur, quàm Melissus, quoniam non tantum in ueritate rationem sequutus est, sed etiam sensum adiunxit, ex quo rerum generationem; cum multitudine, & motu minime tollit: hæc enim cum sensu nitatur admittit Leucippus, in vno verò videtur cum Parmenide & Melisso conuenire, qui vnum ens tantum faciunt, quòd motum sine vacuo fieri sit impossibile, vacuumq. nõ ens esse, quod si fuerit, erit etiam necessarium, tollere de medio ipsum motum, ab illis autem discrepat, quoniam ipsum ens plenum esse voluit, atq. non vnum esse, sed plura eaq. infinita, et indiuisibilia, propter paruitatem eorum, hęc autem erant corpora atoma, quæ ita minima sunt, vt diuidi nullo pacto valeant. in vacuo tamen illa moueri, non autem vacuo terminari, sed tantum pleno, ita vt ex eorum concursu, tandem cetera corpora generarent ex dissolutione verò seu segregatione corruptionem causarent, agere patiq. adinuicẽ, propterea quòd congregata se inuicem tangerent, eo modo quo potest eorum tactus esse. quare ex eis & si plura sint & distincta, congregatione compositum, quod vnum est, ge-

61 nerari. Quod tamen etiam non caret dubitatione, quoniam hæc conuertantur, ex vno ente seu principio indiuisibili, plura eaq. diuisibilia non generari, atq. ex pluribus indiuisibilibus nullum quod diuisibile sit fieri: diuisibile enim omne cum sit continuum, & quantum, non potest ex principijs indiuisibilibus generari, quemadmodum antea docuimus, siue vnum fuerit, siue multa, sed necessarium est cum Empedocle & alijs, qui per meatus passionem fieri dicunt, similiter cum Leucippo omnem alterationem, in qua etiam generatio comprehenditur, per vacuum fieri, facta dissolutione & corruptione corporum, similiter incrementum, nouorum atomorum appositione, quæ per meatus ingressum habent, quod

si fuerit

si fuerit, erunt diuisibilia ea, ex quibus res fiunt, & in quæ corrumpuntur, non
62 autem indiuisibilia. Ferè autem videtur Empedocles cum Leucippo sentire, si vtriusq. dicta adinuicem contulerimus, quandoquidem in indiuisibilia corpora incidere videatur, cum actionem passionemq. per meatus fieri dicat, qui toto in corpore esse cum nequeant, ne totum corpus vacuum quoddam sit, necessarium est, corpora quę inter meatus sunt, indiuisibilia esse: si enim vbiq. meatus essent, nullum daretur solidum corpus, preter meatus, quod si concedamus, ipsum totum nihil aliud erit, quàm vacuum: Empedocles igitur cum vacuum non admittat, plenum autẽ esse, necessarium erit, vt solide partes sint indiuisibiles, quod si fuerit, ferè uidebitur in Leucippi sententiam descendere, quòd dentur corpora indiuisibilia, quæ quidem vacuo sunt distincta, nec non cum sese tangant, adinuicem, per vacuum agere atq. pati. Hi igitur sunt modi principales, quibus secundum Antiquos actio & passio fieri solent. Alij digni non sunt, vt a, nobis connumerentur, de prioribus verò satis, qui nam sint, & quomodo nam ex illis contingat, in naturalibus corporibus agere & pati, manifestum esse arbitror. Cum autem Leucippi, Democriti, & Empedoclis opinionem in aliquo conuenire indicauerimus, necessarium est, vt id in quo dissentiunt, etiam ostendamus: videtur igitur sententia Leucippi & Democriti generationem cum alteratione, nec non alias mutationes saluare, quæ in naturalibus corporibus apparẽt, Empedoclis verò nequaquam, Democritus enim cum Leucippo ex atomis figura diuersis res generabant, cum congregarentur, alterabant autem ordine aut situ mutato: Empedocles autem cum passiones elementorum immutabiles diceret, mistorum generationem cum alteratione saluare non potest. nihilq. de elementorum generatione dixit, quia nihil quod elementis simplicius esset posuit, cum Platone in Timeo, qui non corpora principia elementorum statuit, sed superfi-
63 cies easq. indiuisibiles. Cum quo videtur Leucippus conuenire, quia principia prima indiuisibilia facit, non autem diuisibilia, in eo autem a Platone discrepare, primum quòd principia indiuisibilia corpora faciat, Plato autem superficies, vel plana, deinde verò, quòd Leucippus corpora hæc indiuisibilia figuris infinitis terminarit, Plato autem plana indiuisibilia finitis terminata dixerit. quod ita minime intelligendum est, figuris infinitis atoma corpora differre, sed ex infinitis atomis quæ non eadem figura participarent, omnia generari, atq. ex Sphæricis ignem, excubicis vero terram, non enim alie atomis figure erant, secundum Democritum & Leucippum. In alio preterea dissentiebant, Plato et Leucippus, quoniam Leucippus duobus modis cum res congregatione generabãtur, segregatione verò corrumpebantur, actionem & passionem atomorum adinuicem fieri volut, vacuo scilicet, & tactu, Plato autem tantum tactu, qui in generatione rerum vacuo non vtebatur, sed tantum tactu superficierum, de quibus in libris de cœlo copiose disseruimus: nunc autem operepretium est, vt de solidis corporibus, quę indiuisibilia sunt, quod in libris de cœlo minime attigimus,

vt aggrediamur, an scilicet sint causa actionis & passionis, quę res ad hunc locũ
64 pertinet. Quod vt prestare valeamus, vt altius tractationem hanc petamus res ipsa exigit, cum ergo Democriti & Leucippi opinio magis actionem & passionem saluare uideatur, ab illa initium sumentes seipsam interimit, quandoquidem impassibilia si fuerint corpora atoma, simulq. vacuum tollatur, impossibile erit, ab illis actionem aliquam passionemq. prouenire, quę inter illa sit, aut quam alijs corporibus comunicent, sublatis verò ipso agere & pati, quia neq. durum neq. frigidum erunt, cetere mutationes cessabunt, ad quas actio & passio contra-
65 riorum cõcurrunt. Necessarium ergo est, vt sint passibilia huiusmodi corpora, cum illa figuris interse differre dixerint, atq. passionibus, quoniam circularia atoma calida sint, cubica verò frigida, non enim caliditas constitui potest, absq. frigiditate, quæ illi opponitur, quod si verum sit, cum passiones contrarias atomis tribuant, erunt hæc corpora tum passibilia, tum vero impassibilia, quod contradictionem maximam sententię Democriti & Leucippi imponit: erunt enim caliditas, frigiditas, grauitas, leuitas, molle & durum, quæ contrarie quædam
66 sunt passiones atomis, quæ tamen indiuisibilia statuebant. Esse autem passibilia hæc corpora cum passionibus sint definita, alia ratione etiam ostenditur, quoniam equaliter his passionibus minime participabunt, necesse enim est eorum, quæ grauia dicuntur, alia alijs graviora esse, nec non alia alijs calidiora, quemadmodum experimentum indicat, cum alia alijs emineant, & alia magis calefaciant, alia verò minus, quod si fuerit, non possunt defendere, quòd omnino sint impassibilia, impossibile enim est, vt multum non agat in paucum, atq. vt hoc a, multo non patiatur. Quod preterea ex dictis eorum adhuc demonstrari potest, secundum eos cum solida sint & dura, duriciei autem mollities opponatur, fieri non poterit, quin molle a, duro non patiatur, molle enim illud esse fertur, quod ad patiendum aptum existit, non ergo possunt defendere ex eorum
67 placitis, omnino corpora hæc indiuisibilia, etiam impassibilia esse. Nec defendi poterit sententia Democriti, & Leucippi, si quispiam dixerit, solas figuras atomis ineesse, non autem aliquam passionem, quæ illa passibilia reddere possit, ic circo adhuc impassibilia permanere, quoniam nihil aliud essent, quàm mathematica corpora, quo posito, principia mathematica rerum naturalium principia
68 essent, quod est absurdum. Necesse igitur est, vt preter figuram, qualitatibus predita sint, atq. aut vna tantum ex contrarijs, Vg. aut caliditate sola, aut duritie sola, aut vtrisq. caliditate frigiditateq. mollitie, duritieq. quorum vtrunq. si concesserint, maximum inconueniens sequetur, vnam enim qualitatem illis si tribuerint, huiusmodi corporum vna natura nequaquam erit, hoc est vna eorum materia, non erit, quo posito, non poterunt adinuicem mutari, nec quippiam ex eis generari, quod principijs maxime competit, si autem duas qualitates contrarias illis dederint, impossibile erit, vt sint indiuisibila, atq. impassibile eo-
69 rum corpora. Idem quinetiam absurdum, quod ad sententiam Democriti &

Leucippi

Leucippi proposuimus, ad plana indiuisibilia Platonis consequitur, nullam illis passionē inesse, vacuo sublato ab indiuisibilibus principijs, quoniā fieri non po-
terit, vt rariora euadant, nec etiam densiora, quibus si priuari contigerit, alias
etiam passiones desiderabunt, calorem, frigus, mollitiem, & duritiem, quæ illas
70 *consequi dicuntur. Nec potest Democritus se defendere, iccirco atoma corpora*
indiuisibilia esse, quoniam minima sint corporum, quæ in rerum natura reperi-
antur, quoniam magnitudo & paruitas solum per accidens ad diuisionem cor-
porum concurrant, siquidem maiora minoribus facilius diuidantur, cum pluri-
bus occurrant, a quibus franguntur, secundum se autem magnitudo & paruitas non sint causæ diuisionis, sed quantitas, ita vt solum punctum sit indiuisibile, quod quantitatis est expers, non autem corpus siue maximum siue minimum
fuerit, quemadmodum ex definitione corporis apparet, quam libro primo cæli
71 *traddidimus. Cum ergo satis constet indiuisibilia nequaquam esse, fieri non po-*
test, vt principia sint generationis, atq. actionis & passionis causa: non esse ve-
rò generationis principia, hoc pacto demonstrabimus, quoniam ab illis queri-
mus, vtrum omnium atomorum vna eademq. sit natura, an verò diuersa, ita vt
eorum alia naturam ignis habeant, alia terræ, quodcunq. dixerint, dubitationes
insurgunt, si enim vnam omnium atomorum naturam esse dixerint, tunc queren-
dum ab illis erit, quid nam sit, quod ea abinuicem distinxerit, nec non quæ nam
sit causa, quòd ab vno & eodem corpora inter se adeo diuersa generentur. qua-
lia in toto orbe spectantur, cum ab his quæ vnam naturam habent, totum quod-
dam fieri videamus, quod vnam naturā participat, vt ex multis partibus aquæ
lacum, aut mare, quod ab aqua aliam naturam nequaquam habet. quod iccirco
contingit, quoniam posteriora naturam priorum referre oporteat, a quibus esse
obtinuerunt: si autem hæc atoma corpora natura separari dixerint, tunc queren-
dum ab illis est, qualia nam hæc sint, hoc est an sint passibilia, an impassibilia,
impassibilia non erunt, quoniam vbi contrarietas, ibi actionem & passionem
adesse opus est, quod si fuerit, non poterunt aliquo modo sustinere, impassibilia
esse. cum sint indiuisibilia, sed diuisibilia eaq. passibilia. preterea erit necessariū
principia facere huiusmodi corporum qualitates, non autem figuras corporum,
quod sanè valde est absurdum. & inconueniens secundum ea, quæ illi pronun-
72 *tiarunt. Amplius autem noua ratione demonstrabimus, fieri non posse, vt atoma*
corpora impassibilia sint, atq. indiuisibilia, cum Democrito & Leucippo, quod
facile prestabimus, si vnum ex illorum sententia supposuerimus, atoma hæc cor
pora mobilia esse, non autem immobilia, quoniam per vacuum ferri valeant, si
ergo sunt mobilia, non igitur erunt indiuisibilia simulq. impassibilia, sed indiui-
73 *sibilia eaq. passibilia ita vt videantur sibi contradicere. Preterea cum mouētur*
per vacuum aut a se ipsis, aut ab alio mouentur, si ab alio moueantur, non erunt
hæc corpora prima principia, quia id quod mouet, prius est eo, quod mouetur,
nec erunt impassibilia, sed passibilia. Si autem a se ipsis mouentur aut non erunt

indiuisibilia, sed diuisibilia, quia in eis necessarium erit dari partem mouentem, & motam, aut erit necessarium dicere, vnum & idem esse id, quod mouet & quod mouetur, quod est falsum. cum duo cõtraria in eodem simul esse nequeant, nec de eo dici valeant. impossibile ergo est, id quod est mouens, vt mouẽs motum esse, atq. motum, vt motum mouens asserere. impossibile ergo est, hæc atoma indiuisibilia atq. impassibilia facere, si moueantur, sed passibilia, eaq. diuisibilia, quoniam in indiuisibilibus minime inconueniens est, quòd aliquid a, seipsò moueatur, cum hæc diuidantur in partem per se mouentem & per se motam, cuius generis sunt quatuor elementa, quæ intrinsecum habent principium simplicis motus, qui dicitur secundum locum, quẽadmodum primo cœli part. 5. docuimus: omnia naturalia corpora secundum se ipsa apta esse, vt secundum locum ferantur, quoniam natura in illis principium motus esse dicatur, quod de motu locali veritatem habet, non autem de alijs motibus, quoniam actiuum suæ corruptionis insitum principium haberent, quod esse non potest. habent igitur principium motus ad locum actiuum, quia cum sint composita ex prima materia &
74 eorum formis, diuiduntur in partem per se motam, & per se mouentem. Nec defendi poterit sententia Democriti & Leucippi, si quispiam ad incommodum in eos allatum, dixerit, quoniam si ex se ipsis atoma indiuisibilia moueri contingeret, adhuc erunt indiuisibilia actu scilicet, potestate vero diuisibilia, & plura, quoniam si potestate fuerint diuisibilia, materia eorum non solum vna numero erit, sed etiam potestate, quod est falsum, quia materiam rebus omnibus communem vnam numero esse oporteat, potentia verò plures, vt omnium cõtrariorum susceptiua sit. si enim vna etiam secundum potentiam esset, duo contraria simul & semel in vno essent subiecto, quod quidem est impossibile, non ergo atoma corpora & numero & potẽtia eandem materiam habent, quia secundum vnum
75 & idem agerent, & paterentur, quod est absurdum. Nec preterea reprehensione caret opinio Empedoclis, & ceterorum, qui per meatus actionem & passionem fieri voluerunt, quoniam agens ingrediens porros eius, quod patitur, tangendo ageret. cum enim meatus corpore aliquo plenos dicerent, vt spiritu vel aere, meatus minime actionis passionisq. causa esse putantur, quoniam per plenum non autem per vacuum vtrunq. contingat, quod ipsi etiam negabant: si ergo actio omnis fit per meatus plenos, non autem vacuos, etiam si aliquid meatibus careat, pati tamen adhuc poterit, nec non corpus, quod vndiq. continuum fuerit, ita vt meatus sint ocioſi, cum tactus corporum in pleno hoc præstare va-
76 leat. Amplius id quod de visione Empedocles proposuit, sustineri non potest, siue per tactus, radios visuos per transparentia corpora transire dixerit, siue per meatus, per tactus enim transire per transparentia corpora, est impossibile, quoniam in tactu sit necessarium, vt extrema eorum quæ se tangunt simul sint, non autem vacuo, seu spatio aliquo disiungantur, per meatus autem id fieri, etiam impossibile videtur, quoniam meatus aut erunt pleni aliquo corpore, aut vacui,

si pleni,

si pleni, cum per plenum visionem fieri contingat, non autem per meatus, frustra profectò erunt, si vacui, cum accessu radiorum, qui ab oculis prodeunt, meatus repleantur, necessarium erit eo tempore nullam fieri visionem, quod si visio fiat, idem eueniet quod prius, illam per plenum causari, atq. meatus visionis causam nequaquam fore, quem admodum Empedocles ausus est pronuntiare. Nec potest aliquis incommodum allatum euitare, si dixerit, vacuum quod concedit Empedocles, ob paruitatem nullum corpus admittere, quod si non admittat, minime visio impediri poterit, aut per plenum fieri, nõ autem per meatus, quoniam hoc asserere ridiculum sit, vacuo magno non existẽte, si paruum fuerit, vacuum enim cum nihil aliud sit, quàm locus corpore destitutus, necessarium est, vt vacuum sit equale cuicunq. corpori, secundum quantitatem, aut magnam, aut paruam, cum ergo dentur corpora in rerum natura maxima & minima, necessarium erit, si fuerit vacuum minimum, quòd maximum in rerum natura etiam reperiatur, quod de eo vacuo intelligi volumus, quod corpus suscipere potest, non autem de vacuo per se existente: omnino igitur superfluum est, ipsos meatus facere causam actionis & passionis, nec non diuisionis corporum cum Empedocle, si enim nihil facit secundum tactum, neq. per meatus transiens faciet, quod perinde est ac si dicamus, si per contactum corporum actio minime fit, nec etiam per meatus, illam fieri opus erit, quoniam fieri non potest vt absq. contactu corpora permeatus transeant. Si ergo absq. meatibus dummodo contactus corporum concurrat, videmus actionem cum passione fieri, ad quid meatus introducere. Vanum enim aut falsum hoc esse, ex his, quæ attulimus satis est manifestum, nec non ob diuisionem corporum meatus facere, cum corpora omnia, eo quòd sint continua diuisibilia esse dicantur, quemadmodum antea ostendimus.

CAPVT SEXTVM, QVOMODO FIANT generare, agere & pati.

ANTIQVORVM sententijs expensis, quas de ipso agere & pati pro-
77 *nuntiauerunt, reliquum est, vt modum, secundum quem ipsum generare, facere, & pati in rebus naturalibus contingant aperiamus. At cum absq. actione & passione generatio, quę non sine alteratione fieri solet, insurgat, in primis verum modum, secundũ quem actio & passio in naturalibus corporibus fieri solent, explanabimus: quod commode prestabimus, si quædam quæ verissima sunt, antea supposuerimus, quorum primum est, entium quędam actu esse, quædã verò potestate quemadmodũ lib. 3. phy. & alibi docuimus, alterum autẽ, id quod patitur, secundũ quãlibet illius particulam pati, non autem secundũ quasdã pati secundũ quasdã minime, quẽadmodum illis videbatur, qui meatus, & indiuisibilia corpora introduxerunt, tertium deniq. eorum quæ passionem admittunt, alia facilius, alia verò difficilius pati, quemadmodum in diuersis eiusdem corporis particulis fieri solet, cum rariores densioribus ad patiendum magis sint apte, veluti*

Ferrum, in venis magis agens actionem admittere, quàm in ceteris partibus, quæ solidiores & duriores existunt, quod etiam in humanis corporibus quotidie probamus, quod tamen minime efficit, vt porros siue meatus cum Empedocle, actionis passionisq. causam esse dicamus, quoniam illud quod secundo loco supposuimus, de medio tolleretur, videlicet non secundum omnem partem, sed tantum secundum porros pati corpus, quod actionem agentis suscipit. quare alio modo necessarium est fieri ipsam actionem & passionem, videlicet per con-
78 tactum. Quod quidem ita se habere, illa indicant, quæ continua & vnum sunt, quæ secundum eorum extrema, se tangere in partibus minime possunt, & quia vnum cum sint, habeant partes omnino similes adinuicem, ita vt secundum illas impassibilia sint ipsa continua. similiter ea, quæ omnino diuisa & separata sunt, cum tactum non habeant, agere adinuicem patiq. non possunt, quoniam virtus agentis ei, quod passurum est, comunicari non potest: quare actio & passio solum illis inerunt, quæ secundum eorum extrema actu diuisa & separata, se tangunt, aut medio aliquo corpore, aut nullo intercedente, nam Sol nos calefacit, cum aerem calefe eri ambientem, qui nos tangit, & medicamenta assumpta,
79 sine medio in corpus nostrum agunt, secundum eorum qualitates. Quare autem contingat, quosdam Antiquos existimare, ipsa corpora non secundum quamlibet eorum particulam pati, veluti supposuimus, causa est adferenda: Nam cum omne corpus sit in infinitum diuisibile, si ad indiuisibilia cum Democrito, & ad plana cum Platone diuisio procedat, fieri non poterit, vt secundū omnē partem quod diuiditur corpus, pati dicatur, propterea quòd partes indiuisibiles nullo pacto passionem aliquam sustinebunt, quod continua corpora indicant, quæ secundum eorum partes indiuisibiles, nihil patiuntur, atq. quod illi impassibilia principia corporum statuerēt, presertim Democritus ipsas atomos: etenim cum secundum eos passionem in corporibus absq. diuisione fieri nequaquam contingeret, vbi ad indiuisibilia ventū erat, nulla passio fieri posse, uidebatur, impassibilia itaq. erunt principia corporum, quod si talia fuerint, cum compositorum sint partes, non secundum quamcunq. partem passionem in illis opinio Democriti & Platonis saluare potest: si autem quemadmodum antea ostendimus, falsum est diuisionem corporis continui procedere ad indiuisibilia corpora, aut plana, quoniam omne corpus cum sit continuum est diuisibile in semper diuisibilia potestate, eo quòd semper cum actu diuidendi, potestas in partibus vt diuidantur relinquatur; nihil refert, corpus actu diuisum esse, aut potestate diuidi, quoniam si contactus intercedat, necessarium est, fieri actionem et passionem, ita vt diuisio nullo modo sit causa actionis & passionis, veluti Democrito & Platoni videbatur, qui corporibus diuisis, per vacuum, actionem & passionem fieri putabant: superfluum igitur videtur, presupponere actu esse diuisa corpora, vt agere patiq. valeant, & tangere se solum secundum diuisiones: cum absq. contactu nullo modo agere patiq. adinuicem possint, quod etiam ex sermone illo-

rum

rum deducere possumus, si enim per eos diuisio quam esse causam actionis & passionis volebant, fit secundum tactus, etsi nondum sit diuisum, quia diuidi potest, ponatur quod actu sit diuisum, nullum sequitur impossibile, quia possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile. igitur per tactum facta est actio et pas-
80 sio quam sequuta est ipsa diuisio. Omnino autem diuisione corporum generationem etiam fieri, absurdum videtur, primum autem propterea quòd hic sermo alterationem perimit, sine qua generatio fieri nequit, quam tamen in naturalibus corporibus fieri experimur, absq. aliqua suarum partium diuisione, vt lac & aqua, quæ modo humida, modo concreta sine diuisione redduntur, sed tantum actione caloris aut frigoris, a quibus alterantur: non ergo recte dixit Plato, tactu diuisis corporibus, adinuicem agere & pati, similiter nec verum est, quod imaginatus est Democritus, compositione atomorum, versione, transpositione, aut ordinis mutatione alterationem fieri, quoniam continuo manente corpore, illud varijs modis alterari cernimus, atq. nequaquam transducto aut transposito, aut mutato secundū naturam, veluti cum corpus aliquod humidum, vt aqua in glaciem & cristalum vi frigoris mutatur, secundum igitur modos a, Democrito & Platone allatos, impossibile est, aliquid generare, qui vacuo & tactu agere & pati fieri putarunt. Neq. dicendum est pro salute Antiq. iccirco videri corpora cogi, quæ humida sunt & mollia, quia in illis reperiuntur corpora indiuisibilia, quæ dura sunt, quoniam indiuisibilia corpora, nec dura, nec mollia esse possunt, corpus enim suapte natura humidum, secūdum omnē illius partem
81 humidum existit, ita vt alie sint alterationis causæ adferendæ. Aliud preterea incommodum ad Democritum sequitur, qui indiuisibilia corpora introduxit & ad Empedoclem, qui ipsos meatus causam actionis et passionis fore putauit, Videtur enim hæc opinio verum incrementum atq. decrementum tollere. Nam incrementum cum secundum quamcunq. partem eius quod augetur, fieri oporteat, si appositione atomorum fieret, cum atomi exterioribus solum corporis partibus apponantur, illorum appositione non potest incrementum saluari, & fieri, sed tantum ipsa additio & appositio, quæ a vero incremento valde est diuersa, si autem per meatus fieri dicatur, non erit mistio facta, mutatio nutrimenti, quod extrinsecus accedit, quod tamen in incremento fieri est opus, antequàm secundum omnem dimensionem corpus extendatur, humidum roridum, quod in porris continetur, ex sanguine genitum, quo partes omnes aluntur, antequam incrementum succedat, opus est per concoctionem assimilari, & misceri seu apponi particule, quæ augeri debet, ita vt meatus non sint causa incremēti. Quod si quispiam pro Antiquis dixerit, hoc modo saluari incrementum, quia corpore quod tactum additur per se mutato, incrementum insurgit, quemadmodum fieri solet, cum ex aquæ modico generatur aer, qui maiorem locum occupat, cum rarior sit, redditus, & rarefactione extensus, is sciat, se generationē potius, quàm acretionem introducere, quoniam acretio fit eodem corpore manēte, non autem

tale

toto secundum se totum facta mutatione; si ergo vera sunt hæc, quæ in antiquos attulimus, nihil est amplius, quòd de ipso generare, facere, & pati, desiderare debeamus, si quidem omnia sint explicata, quæ ad naturam & modum illorum pertinere videbantur, docuimus enim quid nam sint, & quomodo nam in naturalibus corporibus fieri debeant

CAPVT PRIMVM, PARTIS TERTIAE primi libri, in qua de mistione agitur.

SI alia in hoc opere tractatio est, quæ difficultatem habeat, hæc profectò
82 est, quàm de mistione postremo loco proponimus: Difficile enim in primis, est, intelligere quid nam mistio sit, quid miscibile, preterea quæ nam ea sint, quæ misceri dicuntur, quomodoq. rebus omnibus contingat, quæ miscentur. De quibus perfectè considerare nemo cum possit, nisi antea, an ipsa mistio sit intellexerit, laborem sibi adiungere contemplatio hæc videtur, quam de mistione instituimus: Non enim defuerunt qui alterum alteri misceri, impossibile esse dixerunt, mistio enim cum plurium sit corporum, non autem vnius, in mistione, aut vtrunq. miscibile permanebit, aut corrumpetur, aut alterum saluabitur, alterum abibit, si vtrunq. permaneat, non erit illorũ mistio, propterea quòd nullam suscipient mutationem, si autem vtrunq. corruptum iri eueniat, nullius erit mistio, si autem altero manente, alterum corrumpatur, neq. etiam erit mistio, quoniam vnum tantum duorum aderit, cuius mistio esse non potest. Necesse enim est similiter ea se habere, quæ misceri debent; quod si vtrunq. non maneat, quomodo nam ex illis mistio resultare valeat, non video, quemadmodum si vtrunq. corrumpatur, non aderunt ex quibus mistio fieri possit, vtebantur autem hac ratione, vt mistionem de medio tollerent, inter Antiquos, Democritus, Epicu-
83 rus, Anaxagoras, & Archelaus. quemadmodum postea indicabimus. Videtur enim ratio hęc quærere, in quo nam mistio ab ipsa generatione corruptione acretione & alteratione differat, nec non ipsum miscibile ab eo quod generatur & corrumpitur. Nam hæc inter se differre videntur, quandoquidem in generatione ignis, materiam illius, vt aërem, aut ligna, igni misceri nequaquam dicimus, sed potius corrumpi, quia in generatione alterum contrariorum corrumpi oporteat, alterum verò permanere: omnes igitur partes flammæ corrumpuntur & lignorum in generatione ignis, solum autem partes ignis partibus ignis, quæ manent miscentur, quod quidem etiam de corruptione possumus affirmare, in qua aut vtrunq. aut alterum tantum corrumpi solet. Augmentatio preterea quæ quidem generatio quædam esse videtur, idem ostendit, in incremento enim cum nutrimentum corpori extrinsecus accedit, non dicimus nutrimentum corpori misceri, cum mutationem suscipiat secundum substantiam, sed nutrimentum oppositum assimilari a, calore particulæ, vel corporis, quod suscipit incremen-

tum.

tum. Nec minus alteratio idem declarat, in qua accidentia cum subiectis, aut passiones inter se minime misceri videmus, cum saluata et incorrupta maneant, album enim & disciplinam, quæ passiones sunt, misceri minime contingit, cum in eodem subiecto simul maneant, nequaquam mutata, quemadmodum accidentia, quæ inseparabilia dicuntur: cum ergo nec secundum substantiam, nec secundum qualitates, mistionem saluare sit possibile, videbitur alicui, illam nullo pacto esse: si enim quemadmodum cum Antiquis probauimus, secundum ea, quæ manent, non saluatur, nec secundum ipsam rerum substantiam dabitur, nec non si secundum ea, quæ mutantur, cuiusmodi sunt passiones non saluatur, nec secundum accidentia dabitur, ita igitur planum euadet illam omnino auferri. Quare male sentire etiam videbantur illi, qui eorum quæ simul erant non autem separata mistionem esse dicebant, cum tamen sit necessarium esse eo-
84 rum quæ prius cum separata essent, postea vnita fuerunt. Tollitur autem Antiquorum ratio, propterea quòd entium alia dicantur actu esse, alia verò potestate, quemadmodum in Metaphy. dictum est, quorum secundum aliam atq. aliam rationem mistio esse potest: Non igitur possunt tollere mistionem, cum entia, quæ miscentur, dicantur in mistione partim manere, partim verò corrumpi, non autem aut omnino manere, aut omnino corrumpi, ignorabant igitur tertium membrum diuisionis; nam cum potentia sint miscibilia in misto, actu autem antequam misceantur, secundum actum non manent, sed secundum ipsam potentiam, quod ita se habere, illud indicat, quoniam dissoluta mistione, vnumquodq. elementum misti actu subsistere, & separari contingit, quemadmodum quatuor elementa separantur per putredinem a toto misto, quod fieri non posset, si nullo modo manerent ea quæ miscentur in mistura, actu igitur in misto miscibilia non manent, sed potestate, quoniam virtus illorum saluatur, refracta enim cum maneant elementa in misto, potentia in eo non autem actu esse habent, in alteratione verò actu manent, in generatione autem corrumpuntur. Neq. igitur actu permanent, cum in toto composito potentia sit vtrunq. eorum, ex quibus est compositum, actu verò neutrum, neq. vtraq. corrumpuntur, neq. alterum ex duobus corporibus, quæ miscentur, quoniam saluatur virtus eorum in misto; cum ergo in misto calidi, frigidi, humidi, & sicci virtutes siue facultates & operationes appareant, nullam harum qualitatum in mistione omnino corrumpi patet, possunt enim quodammodo mutari, propterea quòd remittantur eorum vires, in ipsa actione & passione mutua, quæ mistionem omnem antecedere solet: etenim mista & si dicantur, calido predita aut frigido temperamento, non ob id tamen negamus, ceteris etiam qualitatibus participare, similiter in mistione aquæ & vini, aqua manere dicitur, etsi a predominio vinum dicatur, non enim simpliciter vinum aquæ commistum vinum nuncupamus, sed oligophorum & aquosum, quia virtus aquæ maneat, cum autem elementorum virtutes ab elementis non separentur, non solum secundum qualitates, verumetiam secundum ipsam sub-

stantiam

85 stantiam in mistis reperiuntur. Auget preterea dubitationem, an sit ipsa mistio, propter eaquòd difficillimum sit, determinare, quonam pacto apud Antiquos mistio contingere valeat: etenim cum duo sese offerant modi, secundum quos fieri posse videtur; vnus quidem ad sensum, qui est ex partibus ad minima diuisis, mistis & adinuicem appositis, ita vt propter partium paruitatem non sit sensus iuxta positionis, sed videatur mistio esse, & temperatura, veluti si quis tenuem si millam ex tritico farine hordei miscuerit, nam hac in mistione, propter paruitatem partium & similitudinem. sensus mistionem minime comprehendit, quare temperatura potius, quàm mistio videbitur esse, in hoc enim modo videntur miscibilium formæ seruari, sed insensibiles, propter paruitatem miscibilium, quæ iuxta ponuntur: cum enim sensibus primum occurrat color, si ea quæ eundem colorem habent, ad minima diuisa misceantur, minime ad sensum patebit, mistio, sed potius temperamentum quoddam, esse, videbitur, hic autem modus sequitur ad eos, qui partes similares materiam rerum faciebant, alter autem modus, secundum quem mistio contingere potest, est cum non amplius seruata forma mistorum corporum, sed resolutis in ea ex quibus constant, deinde verò elementis adinuicem iuxta positis, non mistio sed temperamentura potius fiat, in hac enim cum miscibilia propriam vim & naturam amittant, atq. in sua elementa resoluãtur, iuxta positio elementorum erit, in quæ resoluta fuerunt, quorum iuxta positionem etiam temperatura, non autem ipsa mistio sequitur. quemadmodum etiam Democriti sectatores dicere uidebantur, vt Epicurus et Leucippus, qui per resolutionem corporum in atoma, horum cuiusq. ad quodcunq. iuxta positione, mistionem fieri dicebant: ita vt mistum corpus non esset temperatum ex aqua & aere. sed ex illorũ atomis: Cum ergo secũdum vtrunq. modũ, non fit facile saluare ipsam mistionem, esse mistionis non est apertum, uterq. autem mistionis modus comune aliquid diuersumq. habet cum minimorum mistionem vterq. modus profiteatur discrepat autem, quoniam alter minima secundum sensum ponit, alter vero secundum materiam, quoniam illa propriam naturam minime retinere voluit, propter eaquòd minima elementorum non misceantur, nisi prius in atomos dissoluantur, discrepat preterea, quoniam in primo unumquodq. minimum apponitur vni, alicui minimo, in secundo autem multa simul minima, multis simul minimis iuxta ponantur: Nam in his quæ propter partium tenuitatem non apparent. suam tamen naturam seruantia, non potest quodcunq. minimorum iuxta quodcunq. iacere, in his autem, quæ propriam naturam amit-
86 tunt illud quidem fieri potest: Modos autem ab Antiquis propositos facile confutabimus, si duo quæ uerissima sunt, supposuerimus, quorum alterum est mistionem aliam esse a, compositione, alterum autem omne corpus continuum esse in infinitum diuisibile, potestate non autem actu, quemadmodum antea aduersus Antiquos declarauimus: quę quidẽ si ita se habeant, in primis sententia Democriti tolli potest, nam si cuiuscunq. continui corporis diuisio in infinitũ procedit,

erit

erit, impossibile quãcunq. partem ipsorum miscibilium, iuxta quamcunq. partem poni, quoniam partes adiacentes semper erunt diuisibiles, quo posito, non erit mistio, quoniam non erit quelibet pars iuxta quamlibet posita, preterea cum mistionem ex miscibilibus non omnino corruptis & mutatis fieri oporteat, non poterit ex illis fieri, quæ cum in atoma resoluuntur, omnino mutantur & corrumpuntur: ignis enim & aqua si in materiam primam resoluãtur, nequaquam miscebuntur. opinio quæ fuit Empedoclis ex priore supposito commode euertitur, nam si mistio non est eadem cum ipsa compositione, propterea quòd in temperatura aquæ & vini nemo vnquam recte dixerit aquam & vinum composita esse, sed mista, vt in oximele acetum dicitur cum melle mistum similiter nec recte dici potest compositionem domus ex cementis lapidibus & lignis esse temperamentũ illorum, quod si ita se habeat, nulla erit sententia, quòd mistio si fieri possit, debeat fieri per iuxta positionem minimorum retinentium propriam naturam, quæ tamen in mistione sensum ipsum latebant, propter paruitatem illorum, ita vt mistione polmis tritici & hordei esset quidem mistio miscibilium, quę latebãt sensum, hoc enim potius compositionem quàm mistionem denotat: si ergo non sit eadem cõpositio mistioni, nullo pacto hæc sentẽtia stare poterit. in mistione enim totum est idem cum parte, in compositione autem nequaquam, igitur non erit vera mistio ex minimis, quæ omnino manent, quorum diuersitas ad sensum tantum latet, hoc enim posito, apparens potius erit mistio, quàm existens, ita vt alicui, qui non acute videat, mistio videatur, lynci autem, qui acutissime videre dicitur, mistio minime uideatur, aut uidebitur quidem facta mistio ad sensum non autem ad rationem, itaq. cum omne corpus sit in infinitum diuisibile, cum sit impossibile compositione secundum minima mistionem fieri, quia quodcunq. minimum non poterit iuxta quodcunq. poni, atq. cum mistio differat a, compositione, cum minima mutari opus sit in mistione: nullo pacto secundum istos duos modos, uidetur mistio ipsa saluari, in nullo enim possumus saluare eorum quæ miscentur partes similares fore.

CAPVT SECVNDVM, QVO PACTO FIAT mistio, quæ sint miscibilia, quidnam sit mistio.

ANTIQVORVM placitis allatis & confutatis, quibus & penes res ipsas & mistionis modos illam de medio tollere uidebantur, operepretium est, vt quid nam de mistione ipsa ad ueritatem statuendum sit, in medium adferamus: quod sanè facile prestabimus, si in primis quorum nam sit ipsa mistio ex-
87 plicauerimus. Nam entium quædam actiua esse, quædam verò passiua cum docuerimus, ita tamen vt in rebus naturalibus generabilibus & corruptibilibus agentia, etiam ab illis in quæ agunt, quodammodo patiantur, atq. huiusmodi ea fore, quæ quidem in materia comunicant, propterea quòd verum sit dicere, quæcunq. in materia ipsa comunicant, inuicem agere & pati, nec non quęcunq. inter

sese mutuo agunt & patiuntur, in materia comunicare, quoniam uideamus ea, quæ in materia cum motis minime conueniunt, mouentia immobilia aut impassibilia permanere, quemadmodum cœleste corpus, quod in hęc inferiora, etsi perpetuo agat, ab illis tamen minime alteratur, atq. mouetur. Mistionem iccirco eorum esse, quæ cum agunt etiam patiuntur, putare oportet: quia ceterorũ, quæ in materia minime comunicãt, illam nequaquam esse uideamus: Medicina enim, cum sanitatem facere dicatur, cum sanitate minime miscetur, nam Medicinæ materiam animam dicimus, sanitatis autem corpus humanum, siue illius temperamentum, quorum ratio est diuersa atq. materia, similiter nec recte quispiam dixerit, sanitatem corporibus mistam esse, sanitas enim cum sit forma siue passio.

88 *quædam, non potest cum corpore, quod illius subiectum dicitur, misceri. Nec satis est, ea quæ miscentur vt in materia comunicare dicantur, sed aliud preterea requirunt, vt scilicet sint facile diuisibilia, quæ enim non sunt in minima facile diuisibilia, nullo pacto misceri dicuntur, & si iuxta ponantur, veluti lapides*

89 *& ligna, & si in materia comunicent. Nec secunda proprietas sufficit, sed tertia adiungitur, opus esse, vt secundum potentias & vires suas equalia sint, quæ miscentur, ita vt ex proportione & simmetria illarum tertium quoddam, quod vtriusq. naturam referat insurgat. Nam si quispiam multa paucis componat, vt modicum aquæ plurimo vino, vinum aquam mutabit & corrumpet, ita vt cum non possit seruari facultas aquæ, mistio minime dicatur, sed potius incrementum ipsius vini, quod dominatur: si ergo ea, quæ miscentur, tales proprietates habent, ea solum vere misibilia erunt, quæ cum sint contraria, & adinuicem actiua & passiua, in minima diuidi possunt, cuiusmodi sunt omnia corpora, quæ sunt facile terminabilia, quemadmodum mollia, non autem dura, & eorum, quæ huiusmodi esse dicuntur, parua iuxta posita paruis facilius & citius miscentur, quàm magna magnis iuxta posita, propterea quòd facilius mutentur, cum inter sese agunt & patiuntur: nimirum ergo est, si diuisibilia esse oporteat ea, quæ miscentur, in quo quidem laudem aliquam Antiqui merentur, quoniam si daretur mistio, illam iuxta positione & diuisione corporum fieri arbitrabant, valde enim conferre ad mistionem diuisio ipsa videtur, quoniam nisi accederet, mistio nullo pacto contingeret, sed solum iuxta positio, quæ in ipsa etiam compositione apparet. Ex positis ergo proprietatibus, facile intelligemus, quæ nam sint ipsa miscibilia, quomodonã mistionẽ fieri cõtingat, atq. quid nã esse dicatur: etenim cum illa sint miscibilia, quæ cum sint in eodem genere contraria, agendi & patiendi adinuicem facultatem habent, nec non quæ parua sunt, non autem magna, & mollia, quæ facile sunt terminabilia, non autem dura, nulli dubium esse potest, ipsam mistionem admittendam fore, atq. quomodo nam ipsam fieri contingat intelligere possumus, si quidem diuisione & tactu eorum minimorum, quæ facile terminabilia sunt, et mollia nisi sint viscosa, cõtingere videatur; quæ uerò has proprietates non admittunt, minime miscentur, veluti circa stamnum &*

es fieri

æs fieri experimur: ærarij enim cum dolum ex ære flamno polire conantur, sola superficies flamno ornatur, ita vt non sit mistio flammi & æris, similiter cum æs adulterant vt aurum & argentum appareat, non enim hoc est mistio, quemadmodum etiam cum paries dealbatur, hoc autem contingit, quoniam alterum miscibilium parum aut vehementer, alterum verò valde remisse, aut nihil erit passiuum, in mistione enim omnium miscibilium equalis actio & passio est, nam æs cum sit durum, flamnum additum illius solum superficiem colorat, veluti color parietem, quare potius appositio & aglutinatio æris et flammi, quàm mistio nuncupatur, quod si æs & flamnum misceri dixerimus, quodammodo mi
90 sta erunt, non autem vere; Quemadmodum balbutientes loqui & non loqui dicere solemus. nam in ijs, quorum alterum rationem materiæ habet, alterum vero formæ quodammodo mistionem esse putamus, vt æris cum flamno, cuius tamen non est vera mistio, quemadmodum omnium formarum, cum suis subiectis, quarum mistionem nullam esse ostendimus. Quę quidem si ita se habeant, dubium amplius esse non potest, ipsam mistionem apparentem esse, aut non esse, sed illam vere esse, nec non illam fieri a, mutua actione et passione contrariorum, ex quibus possumus ipsum quid est deducere, mistionem ipsam nihil aliud fore, quàm miscibilium alteratorum vnionem quandam nisi in actione & passione mutua miscibilia corpora ad minima diuisa, alterarentur, ita vt nec omnino maneant, nec omnino corrumpantur, mistio secundum veritatem nulla fieret.

ANTONII BERGAE TAVRINENSIS PHILOSOPHI ET MEDICI, IN secundum librum Arist. de ortu & interitu. proœmium.

ANTEQVAM aduerborum explanationem accedamus, operepretium est, vt de materia huius secundi libri breuiter atq. iterum agamus, quoniã si Arist. interpretes sequamur, minime pateat, quæ nam illa esse dicatur. Aliqui enim crediderunt Arist. scopum in eo cõstitutum esse, vt de elementorum generatione agat, propterea quòd in particula 24. huius libri de mutua illorum generatione agat, in alijs autem operibus de propria vniuscuiusq. misti specie generatione: cum ergo primo libro omnia explicarit, quæ ad ortum & interitum communiter pertinebant, reliquum est, in hoc secundo proprie magis de vtraq. mutatione vt agat, quæ opinio minime consona est his, quæ Arist. in exordio huius libri proponit, nec non his, quæ in totius operis principio proposita fuerunt, Nam causas earum mutationum, quæ in omnibus rebus mortalibus apparent, docere cum instituerit, in primo libro nihil, quod ad causas harum mutationum precipuas pertinere videatur, explanatum fuit, quas quatuor elemẽta primis qualitatibus predita fore diximus, nec non motum Solis in Zodiaco, sine quibus nullam mutationem atq. alterationem in his inferioribus contingere experimur. Ab ipsis autem mutationibus veluti nobis notioribus hoc opus auspicatus est Arist. quare vt de causis in vniuersum earum mutationũ agat, quæ libro priore traddidit, operepretium est, maxime vero de materiali atq. effectrice, quas elementa quatuor primis quatuor qualitatibus tangibilibus formata esse diximus, nec non motum Solis in Zodiaco, quod ita esse colligitur ab Arist. in prima particula in qua ait se de elementis corporum in hoc secundo libro sermonem facturum, nec vtcunq. sed quatenus sunt predita quatuor primis qualitatibus, quarum beneficio omnium mutationum preterquam localis causæ esse dicuntur in mortalibus & caducis corporibus, quoniam de illis quatenus sunt grauia & leuia abunde in libris de cœlo tractatum fuerit. Quod si Arist. tractationem de mutua illorum generatione, nec non de constitutione mistorum ex illis interponat, hoc factum esse censemus, vt indicaret elementa ipsa non solum grauitate & leuitate predita esse, sed etiam calore, frigore, humore & sicco, quibus mediantibus secundum partes mutantur atq. alterantur: nisi enim hoc elementis contigisset, nulla rerum mortalium in hoc sublunari. Mundo produceretur, illis ergo natura primas quatuor qualitates indidit, quarum duę sunt actiuę duę vero passiuę. quas nisi intelligeremus, causas mutationum assequi esset impossibile. precipua itaq. huius libri materia circa quam tota illius consideratio versatur, sunt causæ

omnium

omnium mutationum preterquam localis, quæ in omnium mistorum corporum constitutione atq. perfectione apparent, nec omnes causas explicat, sed solam materiam & efficientem, quatuor elementa prout predita sunt primis quatuor qualitatibus actiuis atq. passiuis motumq. Solis in Zodiaco, qui accessu generationem rerum omnium suppeditat, recessu autem ipsam corruptionem: etenim in vniuersum hoc opere cum de mutationibus illis agat, quas primo libro propositas esse diximus formalem finalemq. causas non est opus explicare. quę propriam huius et illius misti naturam consequuntur. Nec mirari quispiam debet, quòd intentionem huius operis aut scopum causas mutationũ iam dictarum statuerimus, atq. secundi libri materiam, quoniam absurdum minime sit, vnam eandemq. rem totius operis scopum esse, & partis propriam materiam, quemadmodum in facultate logica contigit, cuius scopus est demonstratio, circa quam illius pars potissima versatur; verior ergo ea opinio est, quæ profitetur, secũdum librum maxime versari circa causas eorum, quæ natura generantur & corrumpuntur, nec non quæ secundum alios motus mutantur, quarum duas maxime attingit, materialem, quam elemẽta primis qualitatibus formata efficiunt, atq. effectricem generationis & corruptionis, quam motus Solis in Zodiaco statuit esse. Quæ quidem si ita se habeant, videtur quodammodo hac in parte lapsus Ioannes gram. qui putauit post uniuersalem de generatione et corruptione sermonem, in hoc libro considerari quo nam pacto ineſt elementis generatio & corruptio, nec non & reliqua quæ dicta sunt: nam cum nihil soleat Arist. absq. causa repetere, mirum non est, si de elementorum generatione agat, & si de illa in 3. cœli mentionem fecerit, vt primis qualitatibus elementa predita esse ostendat, de quibus vt illis sunt predita, hoc loco agit.

CAPVT PRIMVM SECVNDI LIBRI,
de intentione Antiq. & propria opinio de principio materiali generationis elementorum.

1 CVM autem priore libro quecunq. docuerimus, quæ in huius operis exordio de mutationibus rerum generabiliũ & corruptibiliũ, policiti fueramus, vt pote eorum rationes nec non modos, secundum quos contingere solent, atq. quibus nam entibus illarum vnaqueq. debeatur, quasq. inter se habeant differentias, mutationes autem ipse sint generatio, corruptio, presertim simpliciter, quę substantiarum existunt, nec non alteratio, augmentum, et decrementum, quibus tactus, facere, patì nec non ipsa mistio succedunt, sine quibus ille fieri nequeunt. nec nõ propria corporũ mortalium materia innotescere, operepretium est, in hoc 2. libro vt causas earum presertim materialem, quam vocata elementa corporum esse arbitramur, in primis aperiamus, propterea quòd nullum mistum naturale absq. sensibilibus corporibus fieri, atq. constare valeat: Nec vtcumq. de elementis, & primis corporibus sensibilibus agendum, nobis proponimus, sed de illis, quatenus sunt primis quatuor qualitatibus actiuis atq. passiuis formata,

mata, quibus si priuata essent, nullius mutationis locali excepta causę esse possent; erit ergo alia ratio elementorum tractationis in hoc libro, ab ea, quam in libris de cœlo tradidimus, in quibus de illis quatenus grauia, aut leuia sunt, disseruimus, cum de illis vt sunt propria materia omnium generabilium, & corru-
2 ptibilium dicere nobis nunc expediat. At cum de principijs sensibilium corporum Antiqui varias protulerint sententias, non sine ratione factum uidebitur, si primum ea, quę ab illis tradita sunt, in medium attulerimus: Nam eorum, qui rerum generationem & motum admittebant, alij vnum tantum elementorum, alij duo, alij omnia eorum, quæ generantur & corrumpuntur, principia faciebant, alij autem non ipsa elementa, sed aliud quippiam ab illis diuersum: quare non est facile, aliquid de vera materia corporam sensibilium, quæ generantur & corrumpuntur, determinare: Alij enim veluti primo libro phy. abunde ostendimus, vnum tantum elementorum, principium siue materiam eorum, quæ ortum & interitum admittunt, constituerunt, aerem tantum, aut ignem, aut aliquod medium ignis & aeris corpus, pro materia ponentes, ignem enim Heraclitus, Ephesius, & Hippasus, Aerem Diogenes Apoloniates, & Anaximenes, Thales verò, & Hippon Aquam, Anaximander, verò aliud quid, preter quatuor elementa supposuit rerum materiam esse, per se existens corpus, separabile, atq. ab elementis diuersum. Alij vero Antiquorum non vnum tantum, sed plura elementorum materiam rerum quę generantur, & corrũpuntur, esse dixerunt, quidam enim ignem et terram, vt Parmenides, qui cum de sensibilibus rebus loqueretur, dixit calidum & frigidum esse principia rerum, quidam autem simul cum terra & igne aerem connumerauerunt, veluti Ion chius tragedus. Empedocles verò omnia quatuor elementa pro materia generabilium et corruptibilium supposuit, propterea quòd congregatione segregatione elementisq. secundum passiones mutatis rerum omnium ortum atq. interitum fieri putaret, veluti priore li-
3 bro ostendimus: Omnes tamen minime sufficienter de principijs eorum, quæ natura oriuntur & occidunt, loquuti fuerunt, nam & si recte prima rerum principia elementa nuncuparint, in multis tamen peccant, primum cum ea, quæ statuunt pro elementis principia eorum, quæ generantur & corrumpuntur, esse nequeant, siue vnum tantum, siue plura ponant; Empedocles enim, qui quatuor elementis vtitur pro materia, cum illa secundũ substantiam faciat immutabilia, secundum passiones mutabilia, generationem saluare non potest, sed solum ipsam alterationem, aut cogitur fateri eandem esse generationem cum alteratione. Parmenides autem, qui ponit calidum & frigidum, etiam alterationem solum saluare videtur, cum raritate & densitate omnia faciat, quemadmodum Empedocles congregatione & segregatione quatuor elementorum. Qui autem vnum ponunt elementum, omnes in eo deficiunt, quod alterationem eandem cum generationi facere videantur, inter eos autem redarguitur. Anaximander, qui elementum dixit aliud esse preter elementa, quod quidem sit corpus, et separabile,

impossibile

impossibile enim est, corpus esse & separabile, ita vt sit ab elementis diuersum: Nam corporeum separabile esse non potest, siquidem omne corpus naturale sit sensibile, & cum contrarietate, preterquàm corpus cœleste, quod in elementorum genere non ponitur, quod si fuerit cum contrarietate, fieri non poterit, vt sit diuersum ab elementis, si enim dixisset hanc naturam aliam ab elementis esse incorpoream, & informem, melius dixisset Antiqui igitur omnes, qui de generatione sermonem fecerunt, in eo laudem aliquam merentur, quòd principia rerum generabilium & corruptibilium uocauerint elementa, in eo autem sunt digni reprehensione, quòd ea quæ ipsi principia fecerunt, elementa rerum prima
4 esse non possunt. Nec etiam Platonis sententia in Timeo culpa vacare videtur, & si materiam, quæ alia est ab elementis contrariorũ capacem, principium cum Deo et Idea posuerit: quoniam minime determinauit, si ab elementis separetur, an non, atq. eam subiectum vocans, tali subiecto ne quaquã utebatur in generatione corporum sensibilium, quæ sunt quatuor elementa, cum ex superficiebus corporum faceret generationem, quæ etiam vsq. ad ipsa plana dissoluebat: etenim quòd materiam Plato subiectum uocauerit, ex eo patet, quòd eam auro assimilarit, quod quidem est prius ipsis operibus; cum ergo res, quę generantur potius a, materia, quàm a forma denominari putauerit, eaq. in earum generatione non utatur, cui dubium, quòd sit Plato dignus reprehensione, cum a, forma vnumquodq. denominetur in ipsa generatione, non autem ab ipsa materia, quæ propriam naturam rei vniuscuiusq. minime determinat, atq. ab alijs separat, in alteratione autem uidentur quidem res ipse a, materia denominari, quoniam formata est & in actu, dicimus enim mensam, aut tripodem, ligneam, aut auream, aut ęburneam fore, propterea quòd maneat semper eadem materia in alteratione, propria illius forma minime mutata, semper enim aurum suam naturam retinet, quodcunq. ex eo ars effingere conetur, corpora autẽ ex planis cõponi Plato testari videtur, cum in plana corporum dissolutionem fieri dicat, quod quidẽ
5 est impossibile, quoniam plana non sunt ipsa materia. Nostram igitur sentẽtiam in mediũ adferre minime pigebit, quæ nullum patitur incommodorum, quæ aduersus Antiquos attulimus. Dicimus ergo necessarium esse, aliquam materiam corporum sensibilium fore, sed inseparabilem, hoc est nunquam per se subsistentem, sed semper cum aliqua contrarietate, ex qua cum primas contrarietates suscipit, fiunt ipsa elementa, quæ sunt propria materia omnium mistorum corporum, quæ natura generantur & corrumpuntur, quẽadmodum primo libro phy. abunde docuimus. vbi etiam de priuatione sermonem fecimus, quæ subiecto eadem est cum materia, & altera pars ipsius contrarietatis, de quo etiam 3. cœli diseruimus, cum de generatione elemẽtorum mentio fieret, atq. figuras non esse differentias, quibus elementa differrent, probaremus, sed illas potẽtias, quæ secundum opera & passiones eorum sumuntur, cum ergo ex primis contrarietatibus & prima materia ab illis non separata, elementa constare dixerimus,

de

de ipsis primis contrarietatibus opus est, vt quædam determinemus, videlicet quæ nam ille sint, et quot, nam quæ libro phy. primo de contrarietate dicta sunt, valde communia existunt, propria itaq. tractatio exigit, vt de illis iterum differamus, quatenus scilicet sunt cõstitute in quatuor primis qualitatibus contrarijs, quoniam ex illis & prima materia uideamus elementa mistorum omnium constituta esse a, natura. Primum tamen, quæ nam uideantur principia esse, distinguere oportet, videlicet materialia non autem effectiua, Nam tria uidentur esse elementaria principia rerum, primum materia prima, quę est subiectum contrariorum, & a contrarietate inseparabilis, quæ corpus potestate dicitur esse, non autem actu; esse autem illam contrariorum subiectum, ex eo patet, quoniam alterum contrarium alteri subiectum esse non potest, vt calidum frigido, secundum autem principium sunt ipse contrarietates, propter quas generatio & corruptio fieri videtur, siquidem semper inter se agant, & patiantur, ita vt sit necessarium cum materia & altero contrariorum fieri generationẽ & corruptionem, quemadmodum in physicis ostendimus. Tertium autem principium sunt prima corpora, quæ ex prima materia, & primis contrarietatibus ortum habent, quatuor scilicet elemẽta, ignis, aer, terra, & aqua, quæ si mistis cõparentur, vim causæ materialis obtinuerunt; quæ cum in inuicem secundum formas eorum mutentur, sunt causæ ortus & interitus, non autem solius alterationis, veluti Empedocles putauit, cum illa immutabilia faceret, cum ergo in hoc libro elementa queramus, quæ sunt materialis causa eorum, quę natura generantur & corrumpuntur, de ipsis contrarietatibus primis est differendum, sine quibus elementa non essent causa ortus & interitus omnium mistorum quæ natura fiunt.

6

CAPVT SECVNDVM, QVOD QVALITATES tangibiles sint elementorum principia primeq. eorum differentiæ.

7 CVM autem sensibilis corporis principia elemẽtaria, quæ materiæ rationẽ habent, inuestiganda esse dixerimus, nec cuiuscunq. sensibilis corporis, quia non cœlestis, aut mathematici, sed corporis tangibilis, cuius generis inferiora omnia & caduca esse dicuntur, quæ ex calido, frigido, humido, & sicco sunt conflata, de omni contrarietate dicere minime expedit, sed de illis solum, quæ formæ et principia corporum esse censentur. videntur autem omnes, contrarietates tangibiles formas, & principia corporum facere, qualia sunt elementa, ex quibus cum mista constare uideamus, etiam qualitatibus tangibilibus prædita sunt: cum ergo materialem causam corporum omnium queramus, quæ natura generantur & corrumpuntur, de illis contrarietatibus disserere oportet, quæ eorum forme & principia dicuntur, non autem de alijs, quemadmodum est albedo, nigredo, dulcedo, & amaritudo, similiter & alie, ex quibus cum prima materia non fit aliquod elementum: Etenim ex alijs minime elementa fieri patet, quoniam elementa sui natura omni odore, sapore, & colore sint destituta, quemadmodum

admodum in libro de sensu et sensilibus docuimus, tangibilibus autem qualitatibus & primis minime carent, cum ignis sit summe calidus, aer humidus, aqua frigida, terra verò sicca. ille igitur contrarietates sunt explicandæ, quæ in his quatuor primis qualitatibus sunt constitute: Nam omnibus corporibus generabilibus & corruptibilibus ille sunt comunes, alijs autem quædam carere videmus, de illis itaq. operepretium est disserere, cum institutum nostrum, sit pro-
8 priam mistorum corporum materiam querere atq. ostendere. Nec omnes qualitates siue contrarietates tangibiles sunt querende, sed prime solum, tangibilium autem prime differentie & contrarietates sunt calidum, frigidum, humidum, & siccum, secunde autem molle, durum, lubricum, & aridum, asperum, lene, crassum, & tenue, quæ ad primas reduci videntur, graue enim & leue, & si quædam sint contrarietates, nihil tamen conferunt ad ortum & interitum, cum neq. actiue neq. passiue dicantur, principia autem siue elementa, quæ hoc loco querimus, actiua sunt eaq. passiua adinuicem, propter primas quatuor qualitates, de illis igitur tractatio hæc postulat vt agamus. Elementa preter grauitatem & leuitatem, nisi calorem, frigus, humorem cum sicco obtinuissent, nullum mistum produceretur: sunt ergo elementa propter has qualitates, propria materia & comunis omnium eorum, quæ natura generantur & corrumpuntur, quam hoc libro docere instituimus. esse autem quatuor primas qualitates actiuas & passiuas, rationes illarum satis indicant, si quidem calorem dicimus eam qualitatem, quæ facultatem habet congregandi ea, quæ sunt eiusdem generis, quæ homogenea dicuntur, & segregandi ea, quæ sunt diuersi generis, quæ heterogenea nuncupantur: calor enim in coctione elementi, partes vtiles ab inutilibus separat, vtiles autem congregat, & in vnum redigit. frigus autem ea est qualitas, quæ potestatem obtinuit ea congregare, quæ & homogenea, & heterogenea dicuntur, congelatione terram & aquam congregat, nec non omnes aquæ particulas, cum autem congregare & segregare actiones quædam sint,
9 qualitates quæ illas efficiunt, actiuas esse oportet. Humor verò & siccitas sunt passiue, si quispiam eorum rationes adiunxerit, quia humidum illud esse dicitur, quod proprio termino est interminabile, alieno autem facile, veluti aqua, quæ pro diuersitate vasorum siue continentis, quamcunq. figuram admittit, siccum autem cum humido opponatur, illud erit, quod proprio & suo termino facile est terminabile, alieno autem difficulter, veluti sunt omnia corpora, dura, quæ ad siccum reducuntur. terminari autem, aut non terminari, passionem potius quandam, quàm actionem denotant: cum ergo iste dicantur actiue & passiue contrarietates, de eis sermonem antequam de elementis agamus, facere opor-
10 tet: Molle enim & durum in secundis qualitatibus connumerantur, quę ab humido & sicco ortum habent, sunt enim humidum et siccum cause, quòd corpora aut mollia, aut dura existant: Molle enim ad humidum reducitur, quoniam facile cedit tangentibus, ita vt molle nihil aliud sit, quàm ipsum humi-

dum, quod aliquid est passum, terminatum enim est humidum aqueum, quod misto inest, cum amplius non fluat. Durum autem ad siccum reducitur, quoniam
11 durum cum sit compactum & congelatum, tangenti minime cedit. Tenue preterea & lentum, quæ mollitiem quandam præ se ferre dicuntur, ad humidum reducuntur, tenue enim repletiuum est corporis, secundum omnem partem, & facile alieno termino terminatur, quod humidi proprium existit, lentum autem cum nihil aliud sit, quàm humidum quoddam lentore affectum, quale in oleo & pice
12 conspicitur, ad humidum etiam reducitur. Crassum & aridum ad siccum reducuntur, crassum enim non est repletiuum, nec facile terminatur, aridum autem
13 dicitur esse id, quod perfecte est siccum propter humoris defectum: Itaq. cum molle ad humidum reducatur, nihil aliud erit, quàm corpus quod tangenti cedit, non circumobsistendo. Durum autem cum ad siccum reducatur, illud erit, quod non cedit in seipsum secundum superficiem, etenim dura si impellantur, tangenti quodammodo cedere putantur, immobilia tamen si permanserint, non cedunt, mollia vero corpora tangenti cedunt, at non vtcunq. sed non circumobsistendo, quoniam aqua dum tangitur a remo, aut digito dissilit, & separatur: non enim cedit compressione superficies in profundum, sed circum obsistit, similiter et aer, qui a tangente frangitur atq. diuelitur, mollis nequaquam dicitur, cum corpus molle tribus proprietatibus præditum esse oporteat, quarum prima est, cum tangitur integram seruari eius superficiem, & in profundum a, comprimente detrudi. Secunda vt locum nequaquam mutet, cum tangitur, in quo ab eo quod imbecillum dicitur, discrepare. Tertia autem est vt sit continuum, quoniam cumulus tritici cedit quidem tangenti propter multitudinem partium, quæ non sunt continue, sed tantum contigue, quare secundum partes cedere potest, secundum verò totum minime. Durum autem quoniam secundum se resistit tangenti, a, valido differt, quoniam validum loco mutatum resistit, aut quippiam impellit, veluti ventus validus, & turbo, Simpliciter ergo molle & durum hæc sunt, quæ ad tactum talia fore indicamus, nulla cum altero facta comparatione, quorum alterum excedens, alterum vero deficiens potest muncupari. Molle enim & durum simpliciter humorem et siccum mistorum, quæ terminata sunt, sequuntur non autem humidum & siccum improprie dicta, cuius generis est vdum, quod alienum humorem participat, secundum superficiem, nec non irrigatum, quod in profundo alienum humorem suscepit, & congelatum, quod improprie siccum di
14 citur, de quibus fusius libro 4. meteo. disseruimus: Multifariam enim siccum & humidum dicuntur, propterea quòd multa illis opponi videantur, nam humido non solum siccum opponitur, sed etiam id, quod est congelatum, ipsi autem sicco humidum cum vdo opponuntur, ea itaq. cum sint ex eorum classe, quibus multa opponi solent, fieri potest, vt multipliciter dicantur, his autem succedunt vdum & irrigatum, quæ ad humidum reducuntur, quibus ipsum siccum opponitur, cum illa humore aliquo aut in superficie, aut in profundo sint predita, ipsum

15 *sum autem siccum nullum humorem habeat. Rursus humidum & congelatum, quæ sicci sunt opponuntur, siquidem humidum illud sit, quod habet propriam humiditatem in profundum, congelatum autem illa priuatur, ita vt alterum illorum sit humidi, alterum vero ipsius sicci: nam testa & metalla, quæ sunt illiquabilia humore sunt destituta, quę congelata dicuntur, ad siccum reducuntur quæ verò sunt liquabilia, veluti stamnum plumbum, humiditatem in profundo cum habeant, iccirco humida dicuntur. At cum differentie omnes oppositę ad primas quatuor qualitates reducantur, quoniã ille sese minime contineant, opus est, vt de primis oppositis qualitatibus disseramus: siccum enim minime ad calidum reducitur, quoniam omne siccum calidum esse debuisset, nunc autem terra sicca est, cum sit frigida, nec humidum rursus ad calidum, quę repugnantia sunt, simul esse non possunt, rursus neq. siccum ad frigidum, neq. humidum reducũtur, quare prime quatuor qualitates prime sunt in tangibilibus, a quibus elementa formantur, atq. per eas agere patiq. adinuicem dicuntur.*

CAPVT TERTIVM QVOT SINT qualitatum primarum coniugationes. quotusq. numerus elementorum.

16 *CVM de primis qualitatibus, quæ tangibiles sunt, differendum sit ante elementorum tractationem, prout sunt materia propria omnium rerum generabilium et corruptibilium, quoniam inter principia connumerentur, illud in primis supponendum est, cum quatuor sint elementa hoc est principia, a, primis qualitatibus tangibilibus desumpta, calidum, frigidum, humidum, & siccum, quod primum docuit Hipp. in libro de natura humana, quæ quidem inuicem sunt contraria, illorum sex esse cõiugationes, duas quidem incompossibiles quatuor, verò compossibiles, incompossibiles earum sunt qualitatum, quæ secundum formam adinuicem opponuntur, vt calidi, frigidi, humidi, et sicci: calidum, & frigidum sese in eodem corpore minime compatiuntur, similiter humidum & siccum: compossibiles autem coniugationes sunt, calidi & sicci, calidi & humidi, frigidi & humidi, frigidi & sicci, ex quibus cum materia prima quatuor elementa constituta sunt, ignis calidus & siccus, aer calidus & humidus, aqua frigida & humida, terra frigida & sicca, siquidem vna actiuarum cum altera passiuarum simul stare valeat, cum altera habeat rationem formæ, altera verò materiæ, quæ autem inuicem comparate rationem formæ tenent, non possunt ob contrarietatem & pugnam simul stare, cum alterum contrariorum ab altero primi sit opus: videntur igitur iste quatuor primæ qualitates esse causæ ipsorum elementorum atq. cum earum coniugationes sint definite, etiam numerum elementorum definitum esse. Ignem calidum esse nemo negare potest, indiget enim pœna sensus, quemadmodum alibi docuimus, siccum autem esse caliditas illius intensa ostendit, quemadmodum aerem humidum esse caliditas obtusa,*

illius, cum humidi proprium sit actiones obtundere, esse autem aerem calidum natura illius, quæ in exhalatione consistit, ostendit, exhalatio enim omnis calida est, & calidi generationem habet, dissipato scilicet vapore, quoniam vapor etiam ab aqua ferri potest, exhalatio autem nequaquam, aer ergo si conferatur aquæ, & terræ cum sit veluti exhalatio, propterea calidus existit, quod si aliquando frigidus dicatur, quoniam eo vtamur ad refrigerationem, hoc est per accidens, similiter & si siccitatem illi tribuerimus. quemadmodum plurimam humiditatem, aut caliditatem, quod alijs testimonijs confirmare possumus, cum aer leuis sit, leuitas autem caliditatem ipsam consequitur, non autem siccitatem, cum terra quæ summe sicca est, sit grauissimum elementum; nam ignis si quatenus calidus, leuis est, cui dubium, quòd aer qui illi proximus est, quia leuis calidus etiam sit. preterea si elementa, quæ sibi proxima ac finitima sunt, in comuni aliquo finitima ac vicina sunt, consentaneum erit, vt aer cum igne aliquam comunem qualitatem habeat, cum ergo humidus primo sit, non potest in alia qualitate cum igne comunicare, quam in calore. preterea si elementa, quæ symbolas qualitates habent, secundum alteram informata sunt, diuersam & contrariam, sit autem humidum comune aeri & aquæ, non possunt nisi calore & frigore discrepare, erit igitur aer calidus. preterea si eorum alterius in alterum facilior est transitus, quæ in altera qualitate conueniunt, sit autem facilior transitus ignis in aerem, & aeris in ignem, quàm aquæ & terræ, profecto erit aer calidus: nisi aer esset calidus, iam elementa quatuor non essent specie distincta, sed tantum penes magis et minus, quia posset quispiam dicere aerem frigidum esse, sed minus frigidum quàm sit aqua. preterea id cuius generatio fit per calidum, calidũ esse putandum est, at aer ex aqua generantur ca-
17 lore, igitur est calidus. Cum ergo quatuor tantum sint primarũ qualitatum combinationes, possibiles, quatuor tantum erunt elementa, quod etiam ab Antiquis accipere possumus, qui cum de principijs rerum, quæ generantur, sermonem fecerunt, numerum hunc in enumeratione illorũ minime exceſſerunt: omnes enim, qui pro principijs quatuor elementa posuerunt, aut vnum, aut duo, aut tria, aut quatuor esse dixerunt, plura autem nequaquam. preter illos, qui alia corpora ab elementis principia dixerunt, vt Democritus atomos, Anax. partes similares infinitas, adiderunt autem etiam ipsas contrarietates, quibus vtebantur in generatione rerum, quod inductione indicari potest, nam qui vnum elementum principium solum faciunt, raritate densitateq. utebantur, ita vt ex parte con-
18 trarietatis duo ponant principia, & vnum ex parte materiæ. Quod clarius dixisse videtur Parmenides, qui calidum & frigidum, ignem terram principia rerum statuit, aquam autem & aerem volebat misturam calidi & frigidi esse,
19 Quem Plato imitari videtur in Sophista et in Timeo, qui posuit magnũ & paruum in principijs, quæ sunt contraria, & tertium quod esset magni & parui mistura magnum enim & paruum in materia posuit Plato, ita vt materia ipsa

quæ

quæ huius contrarietatis erat susceptiua, nihil aliud esset quàm illorum mistura, non quòd ex magno & paruo mistis materia constet, sed quoniam successiue vtrunq. illorum suscipiat, ita vt ferè eadem dicere videantur Plato & Parmenides. cum tria vterq. principia faciat atq. tertium contrariorum misturam esse, & si differant quod vnum solum faciat, ipsum medium, ideſt materiam Plato, duo autẽ Parmenides aerem & aquam Empedocles præterea quatuor tantũ elementa statuit principia rerum, & cum illis litem et amicitiam, ex parte contrarietatis, quam etiam elementis tribuit, cum ignem ceteris colatum, dixerit calidum esse, alia autem elementa frigida, eaq. illis opponi, itaq. cum omnes, qui elementa pro principijs posuerunt, non excesserint numerum quaternarium, atq. contrarietatibus etiam vsi fuerint, nulli dubium est, ex primis cõtrarietatibus, quæ principia faciunt, quatuor tantum oriri elementa, quæ sunt materia omni-
20 um generabilium & corruptibilium. Quę sanè elementa cum ex prima materia & contrarietatibus conflata sint, quæ inter principia connumerauimus, quoniam elementis siue sensilibus corporibus sunt priora, dicendum est illa minime simplicia fore, sed mista, ita vt elementa, quæ sunt materia & partes mistorum, potius ignea, aquea, terrea, siue igni, aeri, aquæ & terre similia dicantur, quàm
21 quod sint simpliciter ignis, aer, terra, et aqua, Quia ex illis simplicissimis & puris nihil generari potest, præsertim ab excessu caloris qui est ignis, excessuq. fri-
22 goris, qui quidem glacies est, quę ipsius est aquæ, Quod ita se habere etiam ex locis proprijs ad quæ mouentur simplicia elementa, ostendi potest, Nam ignis & aer cum sint leuitate prædita, sui natura ad terminum feruntur, ideſt ad extremum continentis, aqua autem cum terra, quæ grauitatem habent, ad medium, hoc est ad centrum Mundi, quorum extrema sincera sunt, media vero mista magis, quod locus indicat, ad quem feruntur: in misto igitur cum ad loca extrema minime moueantur elementa extrema, ad media autẽ quæ inter illa media sunt, nulli dubium est, elementa ex quibus mista omnia constant, impura mistaq. fore, non autem pura, eaq. simplicia omnino, quæ quidem inter se sunt contraria, pro-
23 ptereaquòd contrarijs qualitatibus predita sint. Quarum simplices quatuor cum sint, vnumquodq. elementum vnam obtinuit sibi propriam, quam cum alio comunem minime habet, terra enim sicci magis est, quam frigidi, cum siccitatem in summo habeat, aqua magis est frigidi, quàm humidi, aer humidi magis quàm calidi, ignis verò calidi magis quàm sicci, sunt enim huiusmodi qualitates in summo igni, aeri, & aquæ, propter quas adinuicem agere patiq. solent: ita vt etiam si calor & frigus magis actiue sint, humor & siccitas etiam agant, quas passiuas nuncupamus. De numero igitur elementorum amplius non est dubitandum, illa nempe quatuor esse, nec plura, nec pauciora, cum a, quatuor simplicibus qualitatibus maxime constitutionem, denominationemq. habeant.

CAPVT PRIMVM, PARTIS SECVNDAE

libri secundi, in quo primum de mutua elementorum generatione pertractatur.

24 HISCE verò determinatis, quæ ad numerum, elementorum naturam q. illorum spectare videbantur, operepretium est, primo vt de mutua eorum generatione agamus: Nisi generatio elementorum antea constaret, quæcunq. de illorum natura dicta sunt, in dubium reuocari fortassis possent, In primis igitur disserẽdum est, quis nam mutuę illorum mutationis sit modus, deinde autem vtrum omne elementum ex omni fieri sit possibile, aut hæc quidem possibile, illa vero impossibile: his enim duabus questionibus determinatis, quod primo instituimus de mutua elementorum mutatione cõmodius assequemur: Nam quòd sit mutua generatio, hoc loco vt declaremus minime est opus, cum 3. lib. cœli, part. 53. hoc docuerimus, vbi elementorum ex se inuicem generationem fore demonstrauimus, non autem ex alijs corporibus. illam enim esse, sensus & ratio satis declarant, cum ex vno elemento alterum generari ignis indicet, qui ex atrito aere generatur, & aqua, quæ in vaporem conuertitur, ex quo aer generatur, quod ratio ipsa etiam aperit, propterea quòd nisi mutua elementorum generatio esset, alterationem de medio tolli contingeret, tolleretur autem, quoniam elementa secundum eorum formas immutabilia essent, quod si esset, cum alteratione etiam ipsa generatio rueret, itaq. manifestum cum sit, mutuam esse ipsorum elementorum generationem, cum ex his, quæ 3. libro cœli docuimus, tum ex his quæ hoc loco aduximus, operepretium est, vt duas propositas questiones discutiamus, in primis autem ab ea quam secundo loco proposuimus, initium facere oportet, vtrum scilicet elementa omnia ex omnibus fieri possint, an vero non, quemadmodum Plato putauit, cum terram immutabilem faceret: vnumquodq. enim elementorum indifferenter ex vnoquoq. fieri, hac ratione demonstrari facile potest, generatio enim si est ex contrarijs, quemadmodum alibi ostendimus, sint autem secundum eorum qualitates omnia elementa contraria adinuicem, nulli dubium esse potest, quam quodcunq. ex quocunq. fieri debeat. si enim naturam ignis spectemus, est profectò calidus & siccus, terra frigida & sicca, aer calidus & humidus, aqua frigida & humida, ita vt aut secundum vtrasq. qualitates; aut secundum alteram solum sit vniuscuiusq. elementi ad vnumquodq. contrarietas, ignis enim aquæ vtraq. qualitate opponitur, est enim aqua frigida & humida, quorum alterum opponitur calido, alterum vero sicco, aer & aqua tantum secundum alteram qualitatem opponuntur, cum in humore conueniant, Aer igni etiam penes alteram tàntum qualitatem est contrarius, secundum humiditatem quæ siccitati opponitur. Aqua autem terræ solum secũdum alteram qualitatem opponitur, propterea quòd frigiditatem habeat, comunem cum terra, cum ergo vniuscuiusq. elementi ad vnumquodq. sit contrarietas, erit omnium possibilis ex omnibus generatio, non autem huius quidem possibilis huius autem impossibilis.

25 Ita vt minime arduum sit intelligere, quomodo nam omnia erunt ex omnibus, prior autem quæstio de modo secundum quem contingit, vt mutua sit ipsorum elemẽtorum ex inuicem generatio, difficultatem aliquam habet, propterea quòd quorundam elementorum facilior sit transitus vnius in alium, quorundam verò difficilior, cum maior in quibusdam contrarietas appareat, vt in his, quæ secundum vtramq. qualitatem opponuntur, in quibusdam autem minor contrarietas habeatur, vt in illis, quæ secundum alteram tantum qualitatem pugnare cernimus; eorum ergo quæ magis opponuntur, in nullaq. qualitate conueniunt, mutua generatio erit difficilior, in his autem, quæ minus opponuntur, in alteraq. comunicant qualitate, facilior erit vnius ex altero generatio, propterea quòd facilius sit vnum, quàm multa transmutare; Nam in mutatione aquæ in ignem, cum alterationem in frigido & humido fieri oporteat, longiori tempore mutabitur aqua in ignem, quàm in aerem, cum quo in humore comunicat, solum autem frigiditate discrepat, quæ caliditati aduersatur, similiter ex igne generabitur aer, si siccitas ab ipsa humiditate superabitur, & rursus aquam ex aere fieri accidet, si calidum a frigido vnicatur, similiter ex aqua terra, et ex terra ignis fiet, quoniam in altera tantum discrepent qualitate, in altera verò conueniant, quapropter nulli dubium est, circularem siue mutuam in elementis generationem esse, faciliorem tamen eorum, quæ symbolas qualitates obtinuerunt, ita vt eorum contrarietas secundum vnam tantum qualitatem esse dicatur, eorum autem, quæ se-
26 cundum vtranq. opponuntur etiam est mutua generatio, sed difficilior. Ex aqua ignis fieri quidem potest, nec non ex aere, terra, in qua tamẽ mutatione plurium, fit mutatio qualitatum, non autem vnius: nam cum ex aqua generari debet ignis, corrumpi tum frigus tum humorem aquæ opus est, atq. in materia prima introduci caliditatem cum siccitate, similiter cum ex aere fieri debet terra, necessarium est ambas aeris qualitates corrumpi, humorem et calorem, vt siccitas & frigiditas contrarie materiæ primæ adueniant, ex quibus cum ipsa materia terra insurgit, quod etiam accidit, si ex igne aquam generauerimus, & ex terra aerem, in his ergo cum sit maior cõtrarietas, mirum non est, si generatio illorum mutua difficilior sit, quàm aliorum, quæ minorem contrarietatem habent, veluti est ignis aeri comparatus, aut aer igni, nec non aqua terræ, & terra aquæ, quæ symbolas qualitates habent. Si ergo vnius elementi in alterum mutatio circula-
27 ris fieri potest, erit omnium elementorum ex omnibus generatio, Quod adhuc magis eo argumẽto ita se habere, comprobare possumus, quoniam etiam ex duobus contrarijs elemẽtis vnum elementũ ab illis diuersum produci potest: etenim ex igne & aqua, quę in nulla qualitate conueniunt, terra producitur, corrupta caliditate ignis, & humiditate aquæ, quoniam siccitas ignis & frigiditas aquæ cum materia prima terram constituent, similiter ex igne & aqua aer generari potest, si enim siccitas ignis corrumpatur, & frigiditas aquæ, humiditas & caliditas saluabuntur, quæ naturam aeris efficiunt: similiter ex aere & terra quę

secundum

ATENEO VENETO VENEZIA

secundum vtranq. qualitatem opponuntur, vnum elementum producitur: nam corrupto calido & sicco terræ, aqua generabitur, quando autem terræ frigus
28 aeris humor interierint, ignis ex vtrisq. resultabit. Quod etiam ita se habere, fumus ardens, qui est ignis flamma indicat, quæ ex aere & terra generatur, exhalatio enim quæ oritur ab humiditate, habens quid terreſtre commistum fu-
29 mum constituit. Nec in omnibus elementis contingit, vt ex duobus vnum producatur, siquidem ex duobus elementis, quę in altera qualitate comunicent impossibile sit, aliquod corpus resultare, propterea quòd in ambobus aut eadem aut contraria relinquuntur, ex quibus non contingit aliquod elementum generari: Nam si ignis siccum, aeris autem humidum intereant, in vtrisq. calidum relinquitur, ex quo nullum fit elemẽtum, si autem corrumpatur calor, in vtroq. permanebit siccum & humidum, ex quibus nullum elementum producitur, cum
30 hæc combinatio sit impossibilis, quemadmodum antea ostendimus. Itaq. si cum vnum tum plura elementa in inuicem mutantur, dissoluta erit quæstio proposita, an omnia ex omnibus generentur, an hæc quidem possibile, hæc verò impossibile sit generari, quia ex allatis rationibus certum est, omnia ex omnibus generari, mutuamq. eorum generationem esse.

CAPVT SECVNDVM, IN QVO PROBATVR elementa non esse naturalium corporum materiam, nec alterum alteri aduersus Antiquos.

CVM superiore capite mutuam elementorum mutationem esse, omniaq. ex
31 omnibus fieri ostenderimus, Ne quispiam propterea in eam opinionem descendat, quòd vnum elementum alterius materia esse dicatur, aut quòd illa corporum naturalium materia existant, quemadmodum Antiqui naturales putabant, veluti libro primo operis de physica auscultatione indicauimus, operepretium est, vt ea nec esse naturalium corporum materiam, nec alterum ex altero immediate tanquam ex sua materia fieri demonstremus: Nam elementa quæ sunt corpora in actu, si statuerimus esse naturalium corporum materiam, quemadmodum Antiquis, qui generationem confitebantur, visum est, aut vnum illorum omnium materiam dicere oportebit, aut duo, aut plura, vnum autem impossibile est facere rerum omnium materiam, siue sit vnum ex quatuor elementis, veluti Heraclitus, Thales, eorumq. alij crediderunt, siue aliud ab elementis veluti Anaximander existimauit: Nam si vnum fecerimus materiam corporum naturalium, vt aerem, aut aquam, non saluabitur ipsa generatio simpliciter dicta, sed tantum alteratio, proprium enim materiæ cum sit manere, si non corrumpatur aer in aquæ generatione, nulli dubium est, factam esse alterationem, non autem generationem simpliciter, quæ est transmutatio in contraria, si ergo aerem materiam ignis fecerimus, cum aer sit in actu & manere debeat, quoniam materia rationem habet, iam hæc mutatio aeris in ignem, non erit generatio, sed altera-

tio.

tio. Præterea alterum sequetur incommodum, duo contraria simul esse, nam si ex aqua fiat aer, certum est aerem genitum extare, aquam autem propterea adesse, quoniam materiæ vim habet, quod si ita sit, cui dubium duo contraria simul esse, quod est impossibile, quandoquidem experiamur in elementis, quæ sunt contraria maxime, alterum vnam differentiam oppositionis tantum admittere, alterum vero reliquam, nam ignis et aqua cum maxime opponantur, ignis calidum sibi vendicauit, aqua frigidum, non autem ignis cum calore partem frigoris, nec aqua cum frigore caloris particulam. Nec valet si quispiam obijciat, videri vnũ elementum aliorum materia, propterea quòd videamus ex aere rarefacto ignem fieri, ex aere verò condensato aquam, nam incommodum allatum etiam sequeretur, duo videlicet contraria simul esse, quoniam si ex aere fit ignis, cum ex propositis, elementorum omnium mutua sit mutatio, fieri poterit, vt etiam ex igne aer producatur, quo posito, sequetur calidum ignis aeri inesse, & ex consequenti aeri non solum inesse caliditatem, sed etiam frigiditatem: impossibile ergo est, ignem aerem calidum esse, statuenda igitur materia elementorum aliquid aliud, preter elementa, quod omnibus sit comune, tale autem materia prima erit, quæ est subiectum contrariorum, cum sit vna numero priuatione formarum, quæ actum nullum admittit, sed solam potestatem, ratione cuius generatio rerum sim
32 pliciter dicta saluatur: Similiter nec aliquid, quod dicatur medium inter elementa possumus statuere materiam elementorum, quemadmodum Anaximander putauit: Nam tale intermedium cum sit corpus in actu, & materia, manebit in mutatione vtrorumq. atq. contrarietatem habebit ad vtrunq. ex necessitate, & erit secundum idem calidum & frigidum: si enim manifestum est, quòd id quod mutatur, ex contrario in contrarium mutatur, manifestum est, quòd hoc medium corpus cum in ignem vertitur, quòd ex frigido in calidum mutatur; est ergo illi insita & connata frigiditas, quam non abicit, cum in ignem transit, in eodem igitur simul & semel erunt ipsa contraria, ex ipsa necessitate, sequitur incommodum hoc ad sententiam Anaximandri, propterea quòd hoc medium putauit igne quidem densius esse, aere verò rarius, ita ut ab igne sola differat densitate, ab aere autem sola raritate, ita ut solam raritatem assumens, ignis euadat, quia cetera, quæ igni inerant, semper manent, cum autem sit impossibile contraria simul esse, quoniam alterum contrariorũ est priuatio, alterum habitus, absurda erit sententia Anaximandri, eadem etiam sequerentur incommoda, si duo aut plura elementa quispiam affirmauerit cum antiquis, qui non vnum sed plura pro principijs posuerunt, materiam mutue elementorum mutationis esse: Nam si cum Parmenide quispiam dixerit, ex igne, & terra fieri ipsa elementa, uel erit opus hæc manere in generatione aeris ex illis, uel non manere, non est dicendum quòd non maneant, cum proprium materiæ & elementi sit rebus ipsis inesse, quæ ex illis fiunt, relinquitur ergo quod maneant, si manent, sequitur absurdum antea allatum. contra antiquos, qui vnum

elementum materiam generationis elementorum constituebant. Idem absurdum
sequitur si tria dixerimus, alterius siue reliqui elementi materiam fore, vt si di-
33 xerimus ex terra, aqua, & aere, ignem generari. Cum ergo quatuor elementa, quæ sunt prima corpora sensibilia, sibi ipsis non sint materia, existimandum est, illa esse materiam ex qua generantur omnia corpora mista, & composita, at non constat apud veteres, in generatione rerum ex illis, an illa maneant immutabilia, an vero mutabilia, an vero aliqua ex illis mutationem suscipiant, aliqua verò nullam, quemadmodum in Timeo Platonis scriptum est, terram ipsam immutabilem fore: Empedocles enim illa immutabilia posuit secundum substantiam, solum autem secundum ipsas qualitates mutari, quemadmodum antea docuimus. Ea verò secundum substantiam mutabilia esse docuimus, quoniam adinuicem sint contraria, si enim secundum solas qualitates & accidentia mutarentur, non fieret mutatio in substantia, nec aliqua generatio simpliciter, sed solum in accidentibus, generatio secundum quid, ipsa igitur quatuor elementa mutabilia secundum eorum formas, non erunt sibi ipsis materia, cum generantur, sed tantum corporum mistorũ: materia enim quæ in eorum mutua mutatione subijcitur, est materia prima, incorporea insensibilis, quæ omnium formarum expers existit, quam si subiectum dixerimus, in mutua elementorum mutatione, cum omnis cõtrarietatis sit expers, nullum eorum, quæ attulimus incommodorũ se-
34 qui videbitur. Nimirum ergo est; si necessarium sit, elementa quatuor adinuicem mutari, cum materiam comunem habeant, quæ nullum eorum actu esse dicitur, atq. ea facilius inter se mutari, quæ in aliqua conueniunt qualitate, facilior enim est transitus ignis in aerem, quàm in aquam, quoniam vna solum est cõtrarietas, in hac mutatione, non autem due sunt contrarietates, penes duas possibiles combinationes, quarum altera est calidi & sicci, altera verò frigidi & humidi. est enim ipsa cõtrarietas non solum secundum actiuas qualitates, sed etiam secundum passiuas in elementis, quæ simbolas qualitates non habent, quod si quispiam dixerit, fieri posse, vt vnũ eorum si mutabile ponatur, principium ceterorum dicatur, quæ generantur in inuicemq. mutantur, nihil profectò affirmabit, quod naturam principij seruare valeat, cum ex his, quæ primo physicarum auscultationum scripsimus, principia semper manere oportet, atq. immutabilia esse, si enim mutabilia forent, iam principium non essent. preterea cum vnum sit si mutabile dixeris, cum a seipso mutari nequeat, mirum est, quomodo nam
35 alia mutare possit, nec non alicuius mutationis causa esse. Impossibile est igitur si mutabilia elementa dixerimus, omnino facere vnum elementorum principium in mutatione, quæ accidit omnibus elementis, siue sit vnum extremorum quemadmodum sunt ignis & terra, vel vnum eorum, quæ media existunt, veluti aer et aqua: nam si ignem aut terram mutabilibus positis principium dixerimus, erunt profectò omnia aut ignis aut terra, quod tamen admitti non debet, cum videamus vnumquodq. elementum ex vnoquoq. fieri, atq. vnumquodq. pro prin-

cipio

cipio poni posse, non autem hoc principium, illud autem minime, ex medijs etiam mutabilibus impossibile est aliquod facere elementum ex aere. aut aqua, quemadmodum Thaleti & Anaximeni videbatur, propterea quòd sequeretur extrema elementa in inuicem non mutari. Nec potest aliquis occurrere, minime necessarium esse, vt extrema adinuicem mutentur, quoniam fieri possit, secundum rectitudinem in infinitum vt elementorum mutatio procedat, aut versus ignem ascendendo, aut terram versus descendendo, ita vt ignis in quintum elementum mutetur, & quintum in sextum, similiter & terra, quod si fuerit, non erit necessarium extrema adinuicem mutari: Etenim si in infinitum recta elementorum adinuicem mutatio procederet, maximum incommodū sequeretur, in vnoquoq. elementorum infinitas contrarietates inesse, quod quidem est impossibile, cum enim ex medijs in infinitum mutatio fieret in extrema, aut extremorum per media, infinite profectò in medijs contrarietates inessent: quatuor igitur elementa cum adinuicem sint contraria, aut secundum vnam, aut secundum duas qualitates, erit omnium adinuicem mutatio, quæ in infinitum circulo procedit, non autem recta, cum statum dari oporteat in generatione elementorum: est igitur necessaria extremorum adinuicem mutatio, vt circulus generationis seruetur, esse autem possibilem hanc mutationem extremorum adinuicem, vt ignis in terram, & terræ in ignem, absq. eo quod primum in media mutentur, facillime quicunq. intelliget, si elementa tali ordine disponat, ponatur autem terra in loco signato T. aqua in loco L. Aer in loco A. Ignis in loco I. Si ergo A. hoc est aerem in I. & L. mutari contingat, hoc est in ignem & aquam, contratietas erit eorum, quæ A. I. hoc est aeris & ignis, sint hæc duo verbi gratia albedo & nigredo, quæ sunt due qualitates contrarie, acsi ignis albus fuerit, aqua vero nigra, erit ergo contrarietas aquæ ad ignem, adinuicem ergo mutabuntur, cum adinuicem sint contraria hæc duo elementa. Rursus si contingat vt fiat mutatio aquæ in aerem, quia potest mutatio cadere in L. & A. erit necessarium, quòd secundum aliam contrarietatem fiat mutatio aquæ in aerem, non autem secundum albedinem et nigredinem; similiter si rursus contingat, vt fiat mutatio aquæ in terram, secundum contrarietatem diuersam accidet, quoniam non fiet hæc mutatio secundum contrarietatem, propter quam mutabatur aqua in aerem, sit igitur oppositio aquę & aeris humiditas & siccitas, aqua mutabitur in aerem secundum humiditatem & siccitatem, in terram verò secundum aliud genus contrarietatis, si ergo in mutatione aeris in aquam, albedo remanet, aqua erit humida & alba, si autem nigredo maneat, erit aqua humida & nigra, quorum vtrumq. si fiat, semper aliqua apparebit contrarietas inter aquam & aerem, aut secundum vnam qualitatem aut secundum duas qualitates, idem etiam contingere videtur, si aerem in ignem mutari eueniat, quoniam ipsi I. hoc est igni, ipsum S. hoc est siccum inerit, erunt contraria hæc duo elementa secundum album & nigrum, quoniam ignis primum niger erat, aqua vero alba, cum ergo inter hæc elementa

contrarietas appareat aut secundum alteram qualitatem, aut secũdum vtram q. omnium ex omnibus erit generatio, quia indifferenter vnumquodq. adinuicem mutari potest, siue fuerit extremum, siue medium: non ergo elementorum hoc statuendum est principium, hoc verò non, quemadmodum Antiquis placuit, sed vnumquodq. elementorum principium sensibilis corporis est faciendum, quia T. hoc est terræ etiam nigrum & humidum inerunt, ita vt nigro cum igne communicabit, humido vero cum aqua: alijs autem qualitatibus ab illis discrepabit, cum secundum alteram solum cum altero illorum conueniat, quare cum in terra contrarietas appareat ad ignem & aquam, etiam eorum erit inter se mutatio, ita vt cum in omibus elementis contrarietas adsit, omnium erit mutua mutatio, quod Antiqui minime intellexerũt. qui extremorum adinuicem mutationem negabant.

CAPVT TERTIVM, QVOD IN INFINITVM in rectum non possit procedere elementorum generatio, sed quod generatio ipsa sint finita.

QVOD autem in infinitum recta elementorum mutatio minime procedat,
36 etiam si iam demonstrauerimus, adhuc tamen necessarium est, vt demonstrationem aliam adferamus; si enim recta in infinitum elementorum fieri contingeret, plures contrarietates darentur, quàm ille sint, secundum quas mutuam elementorum mutationem fieri docuimus. Rursus enim constituatur ignis in loco signato. I. qui in quintum elemẽtum mutetur, nec reflectatur, necessarium profectò erit, secundum contrarietatem aliquam hanc mutationem fieri, quæ quidem alicui propria non sit aliorum elementorum, quandoquidem nulla mutatio absq. contrarietate fieri valeat, nec non due mutationes secundum vnam eandemq. contrarietatem. necessarium igitur est, aliam contrarietatem esse, a quatuor positis, atq. in cõtrarietatibus processum in infinitum dari, propterea quòd quintum elementum in sextum mutari poterit, secundum aliam contrarietatem, sextumq. in septimũ, donec in infinitum contrarietates incrementum suscipiant, quemadmodum numerus, qui in infinitum augeri solet. Quod si contingeret, plura incommoda sequerentur, primum nihil definitum terminatumq. esse, quoniam nihil erit definire, atq. cognoscere, deinde autem aliquid non generari, quoniam si aliud ex alio fieri debeat, per infinita media pertransire opus erit, quod quidem est impossibile, cum infinitum illud sit, quod pertransiri non potest, quemadmodum in tractatione de infinito docuimus, cum eius naturam explicaremus: si ergo per infinita media necessarium fuerit pertransire, in aliquo quidem transmutatio nunquam erit, quoniam elementa hoc est principia, infinita erunt, quod si fuerit, nullius etiam erit generatio, quoniam maior ratio non sit, quòd hoc non generetur, alia verò generentur: in necessaria inductione vnius mentionem habere satis fuit. quod in probabili minime sufficit. Preterea si per infinita

media

media pertransire opus sit, nulla erit aeris in ignem mutatio, quoniam etiam in horum mutatione necessarium erit, infinitas contrarietates pertransire. Amplius, si infinita media peragrare opus fuerit, maximum sequetur incommodum, omnia vnum fieri, quoniam opus erit, contrarietates superiorum in inferioribus reperiri, nec non inferiorum contrarietates superioribus inesse, cum omnia ex omnibus generari, atq. in inuicem mutari valeant, quod quidem est impossibile, cum omnium elementorum non sit vna comunis qualitas.

CAPVT QVARTVM, QVOD ELEMENTA cum plura sint, non sint immutabilia aduersus Empedoclem.

37 *CVM ex vno elemento aut mutabili, aut immutabili, satis ostensum sit, cetera minime fieri, at vnumquodq. ex vnoquoq. fieri, ita vt omnia sint ex omnibus; reliquum est, vt iterum Empedoclis sententiam perpendamus, quæ plura elementa corporum eaq. immutabilia facit. In primis enim per absurda videtur, sententia hæc Empedoclis, propterea quòd sibi contraria proponat, Nam quatuor elemẽta immutabilia eaq. inter se cõparabilia esse ait, si ergo fuerint interse cõparabilia, ita vt omnia sint equalia necessariũ est, vt sint equalia, aut secũdum quantitatem, aut secundum potentiam, & qualitatem, si secundum qualitatem, aut secundum eandem aut diuersam, primum asserere impossibile est quoddam, nam elementa immutabilia si fuerint, profectò secundum magnitudinem et quantitatem non erunt comparabilia, si enim sunt in quantitate comparabilia, vel secundum totam eorũ molem, vel partẽ molis adinuicem conferẽtur, secundum totam molem sensus indicat, illa equalia non esse, maiori enim prædita est aqua mole, quàm terra, & aer quàm aqua. Si autem secundum partem molis fuerint comparabilia, impossibile est saluare, quòd sint intransmutabilia, quoniam adinuicem auxilio alicuius rei comparabuntur, in qua conueniunt, quoniam in omnibus comparabilibus vnum est aliquid, quo mensurantur, si enim fieri potest, vt ex vno pugilo aquæ, sex pugili aeris generentur, profectò aliquid comune est, quo quantitas aquæ & aeris mensurantur, & in quo manent, hoc autem cum sit materia, quæ apta est quantitatem aquæ propriam aerisq. susciperе, cum aut rarefit, aut densatur, profectò adinuicem comparari nequeunt, nisi mutabilia fuerint, quęcunq. enim materiam comunem habẽt, mutabilia esse oportet. quod verò etiam secundum ipsas vires & potentias minime possint comparari, si mulq. immutabilia seruari, illud indicare facile potest, quòd in primis duo elementa si secundum vnam & eandem qualitatem adinuicem comparauerimus, ita vt dicamus pugilum vnum ignis non magis calefacere, quàm decem aeris, sed equaliter, hoc profectò continget propter eandem materiam, in qua comunicant, quod si materiam comunem habeant, immutabilia non erunt ipsa elementa, si verò secundum contrarias qualitates duo elementa inuicem contule-*

rimus, ita vt tantam frigiditatem aquæ dixerimus, quanta est ignis caliditas, cum contraria inter se agant & patiantur, quia in materia comunicant, immutabilia elementa nullo pacto dici poterunt: Si ergo his modis elemẽta quatenus immutabilia minime sint comparabilia, quærere quispiam adhuc poterit, an secundum ipsam proportionem inuicem comparari valeant, ita vt etiam non quanti aliqua sit mensura, acsi dicamus quemadmodum hoc dicitur calidum, illud album esse dicatur. hic enim tantum modus videtur relictus Empedocli, secundum quem elementa si immutabilia fuerint, inuicem comparari debent, propterea quòd potentie diuersorum generum, inter se agere patiq. nequeant, non enim album agit in calidum, nec patitur ab eo, cum determinatum agat in determinatum, a, determinatoq. pati sit manifestum, qui quidem modus etiam dubitatione non caret, quandoquidem hæc comparatio cum sit secundum qualitates, non autem secundum quantitatem, potius similia esse quàm æqualia dicere oporteret, æqualitas enim potius est quanti, similitudo autem qualis, absurdum igitur omnino est, positis immutabilibus ipsis elementis, si non sunt comparabilia secundum proportionem, quia hoc pacto potius sunt similia, quàm æqualia, sed potius secundum ipsas potentias, concedere ignem & aerem parem caliditatem habere, si quidem impossibile sit in diuersis magnitudinibus eandem potentiam collocare, nisi vna & eadem supponatur ignis & aeris materia, in partibus autem illorũ, si equales fuerint portio ignis & aeris, minor profectò caliditas erit in aere, quàm in igne, quia materia, quæ est subiectum vtriusq. intensione remissioneq. magis minusq. calida redditur, si autem materia illis fuerit comunis, nullo modo immutabilia erunt elementa, inuicemq. comparabilia, hæc enim di-
38 cere, est repugnantia proponere. Preterea nullo modo Empedoclis sententia concedi potest, propterea quòd nulla possit saluari mutatio, presertim augmentatio atq. generatio: incrementum enim in primis non erit, si immutabilia fuerint, elementa, quoniam solum appositio eorum erit, quæ similia sunt, ita vt ignis igni appositus videatur, & caro carni, acretionem enim cum nutritio antecedat, oportet aliquam fieri substantiæ mutationem, eius quod additur, si acretio fieri debeat, quemadmodum antea ostendimus: Si ergo immutabilia fuerint elemẽta, erit solum appositio quædam in naturalibus corporibus, quemadmodum in artefactis, non autem verum aliquod incrementum, quod ad omnem dimensionem
39 fieri solet, mutatione eius quod extrinsecus accedit & apponitur. Quòd autem generationem secundum naturam saluare sit impossibile quatuor elementis immutabilibus positis, in primis illud declarat, quod Emped. existimarit elementis immutabilibus inuicem coeuntibus vtcumq. res hæc contingat, alias alia fieri et generari, quemadmodum in his quæ fortuna & casu fiunt, euenire solet, non autem secundum naturam quorum est generatio semper, aut frequenter: etenim ex hominis semine semper generatur homo, ex semine plantæ planta, quæ res elementa mutabilia fore ostendit. preterea immutabilia si fuerint elementa nullius

rei

rei erit generatio, sed solum mistio quædam; siue mistorum fœdus, quod congregatio efficeret, cui segregatio opponitur, quàm corruptionis causam statuit, Empedocles enim preter elementa litem & amicitiam causas eorum, quæ fiunt & corrumpuntur, esse dixit, atq. amicitia fieri congregationem elementorum, lite verò segregationem, ad congregationem autem naturam rerum & substantiam consequi, ad segregationem autem naturæ corruptionem, mistio autem sola tantum alterationem eorum, quæ miscentur, producit, non autem eius rei generationem, quæ ex miscibilibus fieri solet. Varia enim rerum species & forma mutationem ipsius substantiæ, non autem qualitatis sequitur, quare si quis cum Empedocle elementa immutabilia dixerit, generationem ipsam, quæ varias rerum species producit minime seruabit, sed solum mistionem quandam eorum, obregnantem amicitiam, quæ varias formas & speciesq. prestare non potest, siquidem elementa mista hoc non faciunt vt terra aut ignis, sed ipsorum elementorum mutatio, ita vt compositum aliud insurgat, quàm sint ipsa elementa, quia
40 naturam et formam habeat ab illis diuersam. Quòd si ita sit, non est putandum, conuenientibus elementis, os aut carnem generari, quemadmodum putabat Empidocles, sed ratione quadam fieri, id est non temere & casu, veluti ad Emped. consequi videbatur, qui non mistionem elementorum carnem & os generare voluit, sed congressum illorum, a quo nulla elemẽtorum mutatio prouenire potest, veluti mistione, quæ ab ipsa natura efficitur. erit ergo ipsa natura causa simplicis generationis rerum, quæ semper fiunt, non autem terra & ignis, quando con
41 gregantur. Nec videtur addita lite & amicitia, quæ sunt causæ congregationis & segregationis saluare Empedocles ipsam generationem simpliciter, & quæ fit a, natura, quoniam lis cum amicitia videntur tantum congregationem segregationemq. efficere, non autem mistionem elementorũ, quæ fit secundum naturam, quæ quidem mistionis ratio causa erit vt res quæcunq. propriam naturã et substantiam assequantur; omittere igitur naturam videtur & formam rerum, quæ est quid diuinum & optimum, veluti primo phy. docuimus, solum autem mistionem, aut fœdus laudare ipsorum elementorũ, quod nullius natura esse potest. imo potius videtur, causa corruptionis esse mistio, quæ sine ratione fit: Empedocles enim Spherum Deum vocauit, ita vt ex elementis in vnam naturam ob amicitiam coeuntibus, cum sit factum Sphærum, etiam putauerit ipsa elementa esse Deo priora. litem autem Sphærum ipsum disgregare, cuius tamen contrarium nobis dicendum esse videtur, atq. ipsam amicitiam potius disgregationis causam esse: etenim si ex elementa factum est Sphærum, in quo elementa proprias minime retinent qualitates, oportuit primum disgregari qualitates elementorum ab illis, quia nisi suis qualitatibus priuarentur, in vnam Sphæri naturam conuenire non potuissent, quare amicitia potius causa corruptionis, quàm generationis esse videtur, quemadmodum Empedocles putabat. preterea videtur mirum, quo modo elementa Deo priora faciat, & Deum ex elementis esse, cum Sphærum ni-

hil

bil aliud sit quàm ipse Deus: Deum enim Empedocles cælum esse voluit, in quo adhuc alique gentes hodie persistunt: non potest igitur saluare generationem
42 Empedocles, & si amicitiam introducat, preter ipsam congregationem. Amplius videtur dignus reprehensione Empedocles, propterea quòd de motu nihil videatur determinasse, nisi fortassis sint per se motus amicitia & lis, nec non quis nam sit & quorum; tantum enim amicitiam et litem ait mouere, quoniam amicitia congregat, lis vero disgregat, cum autem motus videatur principium congregationis & segregationis, quorum causa est lis & amicitia, aliquid erat de motu supponendum, aut demonstrandum aliquo genere demonstrationis, quo scientie vti solent, de quo nihil ab eo dictum est, quoniam litem & amici-
43 tiam non dixit esse ipsum motum, sed potius causam motus, Vtrumq. facere videtur Empedocles, cum ait amicitiam esse causam motus secundum naturam, litem verò esse causam motus violenti, quia ignis vtrumq. motum admittit, nam superius secundum naturam fertur, deorsum vero violenter, quod tamen secundum illius suppositiones impossibile est asserere, siquidem amicitia potius videatur esse causa motus violenti, & preter naturam, lis autem motus secundum naturam: nam quatuor elementa cum disgregantur per litem a, Sphæro, vnumquodq. eorum ad suum locum fertur, ignis sursum, terra deorsum, cum autem per amicitiam in vnum congregantur, terram a, medio distrahet, ignem vero ab ipsa circumferentia, vt ambo in vnum cogat, hoc autem est preter naturam viq. moueri ignem & terram, quare amicitia potius causa est motus violenti, lis vero motus secundum naturam: nihil igitur de motu simpliciter determinauit Empedocles, quòd autem de motu elementorum etiam nihil determinarit, ex eo patet, quod de motu qui naturalis est & quiete elementorum, nihil dixerit, siquidem a, principio extrinseco motum eorum prouenire pronuntiauerit, a quo motus naturalis minime ortum habet, cum omnem naturalem motum a, principio intrinseco, quod natura est, procedere lib. 2. phy. & alibi docuerimus. Elementa tamen moueri proprioſq. & naturales motus habere, certum est, demonstratumq. a, nobis in lib. de cælo, quare aliam causam preter amicitiam & litem, assignare oportet, cum ab illis tantum motus non naturalis proueniat, siquidem non habeant rationem principij intrinseci, sed extrinseci.
44 Amplius cum de motu elementorum differit, qui a, lite & amicitia fit, sibi nequaquam Empedocles constare videtur, aliquando enim ait elementa moueri ad sua loca, quia lis ea separat & disgregat a, Sphæro, aliquando autem æther casu & fortuna ita cucurrit, multoties quoq. aliter, aliquando autem inquit ignem sursum ferri, æther autem longis terram ingrediebatur radicibus, modo ergo motum secundum naturam, modo violentum tribuit elementis, sibiq. minime constat Empedocles. preterea eius in constantiam magis patefacit, cum aliam causam motus preter litem & amicitiam admittere videatur, cum Mundum moueri dixerit motu eterno, cuius causa minime lis & amicitia esse possunt, quia

similiter

similiter Mundum se habere ait in lite, nunc, & prius in amicitia, ita vt semper similiter vno & eodem modo se habeat, quid ergo est, quòd Mundum semper mouit similiter se habentem, mouit non lis aut amicitia, quoniam lis disgregat, amicitia verò congregat, igitur aliam motus cœli causam afferre oportet; non igitur sibi constat Empedocles, cum causam motus modo litem & amicitiam,
45 modo aliam assignare cogatur. Postremo cum non videantur elementa esse omnium rerum materia & principium, in magnum incidit absurdum, cum animam videatur facere ex elementis, quæ tamen ex illis veluti lib. primo de anima ostendimus constare nullo modo potest, cum nullam vim nullamq. elementorum actionem sustineat, atq. efficiat, etenim si omnes anime passiones acceperimus, siue communes corpori siue non, nulla illarū est, quæ aliquam operationem elementis communem exerceat. preterea cum anima tot mutetur motibus, mirum est, quomodo illam ex elementis immutabilibus constare dicat Empedocles, hæc autem aduersus Empedoclem satis sint.

PARTIS TERTIAE, CAPVT PRIMVM
in quo de mutua elementorum generatione agitur, & quo pacto ex eis mista generentur.

46 CVM autem satis aduersus Empedoclem disputatum sit, atq. ostensum, fieri non posse, vt elementa quatuor, quæ sunt materia corporum omnium generabilium & corruptibilium, sint omnino immutabilia, sed necessarium esse, vt illa mutabilia dicamus, reliquum est, vt primum ostendamus, quomodo nam contingat, si fuerint elementa mutabilia, mutuam fieri illorum generationem, deinde autem quomodo nam possit ex elementis, quæ in inuicem mutantur, sequi misti alicuius, quod aliud sit ab illis generatio: cogimur autem de re hac disserere, propterea quòd non desint dubitationes ad eos, qui elementa mutabilia constituunt, quemadmodum ac eos, qui illa immutabilia cum Empedocle esse voluerūt. Nam ad opinionem, quæ mutabilia elementa ponit, fieri non potest, cum in inuicem illa mutentur, quin materiam comunem non habeant, quoniam mutua eorum mutatio minime fieret, si in materia non comunicarent, quare verū est dicere elemēta adinuicem mutantur, ergo comunem materiā habent, adinuicē mutantur, igitur materia comunicāt, ad eam uerò opinionem, quæ immutabilia secundū eorū passiones elementa profitetur, generationem rerum ex elementis nihil aliud quàm cōpositionem quandā fore sequi videtur, quemadmodū est ipsius domus ex lapidibus, ex quo tādem sequitur, minime causam reddi posse, quomodo nam ex elementis carnes & ossa, quæ suas formas habent & distinctas, generentur, quod profecto ad illos etiam consequitur, qui mutabilia constituunt elementa, nam si cum in inuicem mutantur, videamus, ex igne aerem generari, & ex aere ignem, similiter ex aqua aerem, ita vt omnium in inuicem cum inter se agunt ea patiuntur mutatio sit, mirum est, quomodo nam quippiam ab illis diuersum gene-

rent, videtur enim solum ex elemento elementum fieri, non autem aliquod mi-
stum. Cum ergo ad vtramq. opinionem hæc sequantur, necessarium est illas vt
47 perpendamus; Etenim Empedoclem, quoniam immutabilia supponit elementa,
compositorum generationem minime seruare, demonstrare non est difficile: nam
si elementa hęc tantum iusta ponuntur, cum ex eis partes similares generantur,
veluti cum ex lapidibus iuxta positis fit domus, non erit in corruptione carnis
possibile ex quacunq. illius particula, ignem, aquam, & alia elementa, segrega-
re, quod tamen in carnis putredine accidit, quæ in elementa quatuor dissol-
uitur, secundum quamcunq. illius particulam, quod in domo minime contingit,
in qua omnium non fit a quacunq. eius parte separatio, videmus tamen ex qua-
cunque carnis & ossis particula, terram et aquam segregari, quare falsa est sup-
positio eorum, qui Empedoclem sequuntur, quæ potius compositionem arguit,
48 quàm mixti generationem. Quod autem etiam difficile sit mixti generationem eos
saluare, qui elementa mutabilia faciunt, ita ostendi potest: nam caro cum ex ter-
ra & aqua generatur, vel dicendum est vtrunq. elementum manere, vel non ma
nere, si maneat erit compositio carnis ex elemẽtis, veluti ad Empedoclem sequi
diximus, si autẽ non maneat, solum materia prima remanebit, qua posita nullum
poterit mistum ex ea, quæ sola est, resultare, quod si alterum tantum manere
contingerit, elementum potius quàm mistum aliquod producetur, quare secun-
dum vtranq. opinionem, difficile est, mistorum generationem ex quatuor eleмen-
tis saluare. At cum ex quatuor elementis mutabilibus tamen generationem sal-
uari antea docuerimus, putandum est, mistorum generationem illis suppositis
tãquam materia, saluari, Dubitatio autem, quam aduersus hanc positionem at-
tulimus, facile dirimi potest, si quomodo nàm mistum ex quatuor elementis fie-
ri possit, explicauerimus, mistum enim ex illis fieri cum debeat, vel erit opus
vtrumq. elementum actu manere, quo quidem modo compositio erit, vel vtrunq.
corrumpi, quo sanè modo solum materia remanebit, vel alterum manere alte-
ro nullo pacto manente, quo quidem modo, elementum solum generabi-
tur, dicendum ergo erit elementa partim corrumpi, partim verò remanere,
ita vt potestate maneant, actu vero non, quo sane modo saluari generatio mixti
ex elementis poterit, cum partim maneant, partim verò non maneant; etenim
refracta manent, summa autem minime, veluti fusius in cap. de mistione docui-
mus. Secundum igitur vltimum modum, quem proposuimus, nec materia sola ma
net, nec alterum elementorum, sed mistum ex omnibus elementis constitutum,
quod quidem alterius est naturæ, quàm sint elementa. nec mirari quispiam
debet, ex elementis ad quandam mediocritatem proportionemq. redactis va-
ria mista produci, quandoquidem hoc contingat ex varia primarum quatuor
qualitatum proportione, quæ sunt elementorum formæ, a, quibus actio passioq.
procedunt in ipsa mistione, in qua miscibilia sunt remissa, & refracta non autem
summa, ac si illa potentia esse in mixtis dicamus, quod perinde non est intelli-

gendum

gendum, acsi dicamus, esse potentia, quẽadmodum materiam primam dicere consueuimus, quoniam materia prima potentia dicitur esse ipsa elementa, secundum se non subsistens, compositum vero formatum actuq. existens, aliud quid preter elementa, quare secundum nostram rationem, ex vtrisq. elemẽtis, eorum excessu corrupto, mistio ipsa fit, secũdum autem eos, qui dubitationes proponunt, & dicentes omnino formas elementorum corrumpi, materia prima illa est, quæ perficitur & conflatur: recte igitur diximus, id quod fit, potentia esse, mediumq. contrariorum, at non indiuisibile, sed maximam latitudinem habens, cum diuersa sint mistorum temperamenta, varieq. formæ: nec eo modo quo materia, quoniam materia nullum contrariorum habet, cum potẽtia dicatur illa esse, mistum autem illa quidem obtinet, at non summa sed refracta. Ita igitur fit, vt cum elementa inter se sint contraria suis qualitatibus, vt in inuicem agant & patiantur, quoniam veluti libro primo huius operis determinauimus, in cap. de agere & pati, quæ contreria sunt, apta sunt vt patiantur, nam quod actu calidum est, potestate frigidum dici potest, similiter quod actu frigidum est, potestate calidũ. Cum autem frigidum & calidum sua contrarietate inter se mutuo agant & patiantur, si contigerit in ipsa actione, vt elementa non equentur, sed vt alterum alterum omnino corrumpat, tunc mutua elementi generatio contingit, si autem ad proportionem & equalitatem quandam redigantur, ita vt extrema maneant, mutata tamen & alterata, tunc misti generationem resultare accidit, quod sanè multiplex est, non autem indiuisibile, propterea quòd gradus proportionis elementorum mutentur, quando miscentur, ita vt carnes ossa diuersis prædita temperamentis, generari experiamur.

CAPVT SECVNDVM, QVO OSTENDITVR mista omnia quatuor constare elementis.

49 SI ergo vera sunt, quæ iam docuimus, ex elementis ad mediocritatem quandam redactis, illisq. manentibus compositum generari, quod aliam naturam habeat, facile ostendi poterit, omnia mista corpora, quę in terra generantur, & existunt, ex omnibus simplicibus corporibus constituta esse: etenim in primis quibuscunq. terram inesse illud indicat, quia vnumquodq. est maxime & multum in proprio loco, ad proprium autem locum vnumquodq. a, predominio elementi, quod in eo reperitur, ferri solet, quemadmodum in libris de cœlo docuimus, preterea cum natura vniuscuiusq. suo in loco seruari soleat, mista autem omnia perfecta in terra maneant, nulli dubium esse potest, terram illis inesse. Aqua autem participare, terminus quem corpora, a, seipsis habent, declarat, terra enim cum sit primum siccorum, absq. humore terminari nequaquam potuisset, est enim suapte natura humor facile terminabilis, nimirum igitur est, si comminstius sicco, illum terminare dicatur, quod ita se habere ea, quæ putredine in cinerem abeunt, indicant, a, quibus humor cum euocetur, consistere amplius non

de qua quidem re fusius libro 4. operis meteorologici pertractabimus. Aerē verò & ignem inesse compositis, necessarium iccirco est, quoniam contraria sunt terræ & aquæ, terra enim aeri, aqua vero igni secundum contrarietatem, quæ ab ipsis qualitatibus sumitur, contraria existit, est enim ignis calidus & siccus, aqua frigida & humida, terra frigida & sicca, aer verò calidus & humidus: Cum autem generationes sint ex contrarijs, necessarium est vt vno contrariorū posito, alterum etiam ponatur, nisi contraria adessent, elementa non remitterentur, quæ in mistione concurrunt, cum autem remittantur, necessarium est, illa adesse, & ex consequenti ex quatuor elementis mistorum corporum naturam et
50 constitutionem insurgere. Quod preterea hunc in modum se habere, nutritio viuentium indicat, quæ nutrimento vtitur, quod naturam omnium 4. elementorum reffert, nam cum ex eisdem vnumquodq. nutriri dicatur, ex quibus constat, nutriantur autem viuentia omnia non vno & simplici elemento, sed pluribus, necessarium est, fateri omnia viuentia, ex quatuor elemētis, non autem vno elemento constare. quod Agricole intelligentes, aquam stercorizant, vt illa plante nutriri valeant, stercora enim igneam & terream naturam participant, quæ vbi humori aqueo est commista, plantas nutrire potest: preterea cum id quod nutritur, habeat rationem formæ, nutrimentum verò rationem ipsius materiæ, sit autem forma omnis naturalis cum materia, profectò non potest ex vno simpliciq. elemento nutriri, quod nutritur, sed ex misto; Etenim id quod nutritur rationem formæ habere, illi quodammodo affirmare videntur, qui ignem solum inter elementa nutriri dixerunt, propterequòd alijs si conferatur, rationem formę habeat, cetera vero ipsius materiæ, vnde ignis illa in suam naturam aptum est convertere, cum ergo videatur alia elementa obtinere, quoniam preditus est ignis qualitate maxime actiua, rationem forme habet, quemadmodum libro quarto operis meteorologici docebimus. preterea cum ignis sit corpus, quod secundum naturam ad terminum fertur, terminus autem est quod dicitur extremum & continens, ita vt formam dicat, si contentis ab eo conferatur, ignem rationem formæ habere, dici potest.

PARTIS QVARTAE, SECVNDI LIBRI de causis generationis & corruptionis Caput primum, quòd opus sit, inquirere causas rerum generabilium & corruptibiliū, vniuersales, quot, queúe sint iste causæ, & nōnulli circa ipsas Antiquorum errores.

CVM multa de materia corporum omnium generabilium et corruptibilium
51 docuerimus, quam elementa quatuor secundum eorum substantiam mutabilia fore statuimus, sine quibus impossibile esset aliquam fieri mutationem, de quibus primo libro disserimus, in omnibus mistis corporibus, quæ in hoc Mundo inferiori

ctori continentur: operepretium est modo, cum videamus in entibus naturalibus, quædam esse generabilia & corruptibilia, atq. generationem in eo totius vniuersi loco fieri & contingere, quem circa medium vocamus, in quo omnia viuentia manere, & viuere experimur, vt de omni generatione, hoc est de generationi comuniter dicta disseramus, de qua in hoc opere sermonem habuimus, nec non quot & quænam sint illius principia, quæ quidem proprie causæ dici merentur, cum ea quæ verius principia dicuntur in libris physicarum auscultationum tradiderimus, in quibus de prima materia forma & priuatione copiose disseruimus, Nam causis in vniuersum explicatis, facilius causas vniuscuiusq. quod generatur assequi poterimus, de quibus in partibus naturalis disciplinæ, quæ hanc sequuntur, agere instituimus: communis enim tractatio plurimum conducit, ad propriam rerum omnium tractationem, quam ordine doctrinæ semper antecedit: cum autem numerum in primis insinuandum fore posuerimus, illum commode assequi videbimur, si vnum quod veritatem multam habet, primum supposuerimus, videlicet esse numero æqualia & genere eadem principia, quæ sempiternis & primis insunt corporibus, cum iis, quæ in generabilibus, corruptibilibusq. etiam apparent. Porrò vnum in illis est vt materia, alterum vt forma, atq. preter hæc tertium, quod rationem efficientis habet, materia enim sola cum forma minime sufficit, ad ipsam rerum generationem, formæ enim generabiles cum potentia in materia prima esse habeant, aliquo agente indigent, quæ illas ad actum træducat, materia enim cum sit pura potentia, hoc præstare nequaquam potest, quare requiritur tertium principium, quod agentem causam esse volumus, in sempiternis vero etsi efficiens propter generationem minime requiratur, quemadmodum in lib. de cœlo docuimus, requiritur tamen in sempiternis, propter permanentiam esse q. illorũ, quod si ita sit, erunt profecto numero æqualia principia rerum eternarum & caducarum, in vtrisq. etiam primum materia apparet, in generabilibus autem quatenus habet potentiam ad esse & non esse: nisi illam haberent, generatio & corruptio illorum nulla contingeret, in corporibus autem eternis materia etiam reperitur, aliam tamen rationem habens, quoniam eterna sunt entia necessaria non autem contingentia, quemadmodum ea quæ sunt caduca, materia igitur, quæ in illis est potentiam contradictionis, quæ est ad ipsum esse & non esse, nequaquam admittit, sed eam solum, quæ est ad vbi, si quidem cœlum contrarietatem nullam habeat, atq. nunquam sua forma illius materia priuetur, formam autem habere natura & substantia eorum indicat, vnde recte in libris de cœlo diximus, hoc cœlum materiam cœli cum forma significare, cœlum autem solam illius formam denotare. preterea forma & materia in naturalibus cum ad aliquid dicantur, posita materia forma ponitur, et forma posita ponitur ipsa materia, preterea cum generatio mutatioq. omnis a natura sit, atq. frustra temere q. minime fieri videatur, sed finis alicuius gratia; natura generationem & motum omnem propter formam efficit. siquidem illa

introducta

introducta in materia, omnem naturæ actionem cessare videamus: si ergo generatio existit, non solum materiam sed etiam formam esse, necessarium extat.

52 Efficiuam autem causam preter illas etiam adesse oportet, quam priores potius somniarunt, quam quòd aliquid de illa dixerint, quòd veritatem aliquam contineat, Plato enim ex Antiquis prioribus in Phedone, formalem causam effectricem esse putauit, atq. formas separatas siue ideas omnia formare, atq. producere, aduersus quem Metaphy. 7. disputauimus: vbi ostendimus, illas nihil ad generationem conferre, nec formarum generationem esse: inquit igitur Plato hæc entia sensibilia entia fore per participationem, non autem vere entia, quem admodum sunt ideę & formę separatę, quarum naturam hæc inferiora participare dicuntur, ita vt vnumquodq. entium inferiorum secundum formas dicatur esse habere, generari autem secundum participationem formarum, quemadmodum & corrumpi per abiectionem illarum, ita vt formæ sint causæ effectrices generationis & corruptionis omnium rerum. Alij verò crediderunt solam materiam causam esse, vt quippiam generetur, atq. corrumpatur, quemadmodum sentire videtur Anaxagoras, qui solam mentē ponens primam rerum omnium causam, materiam sufficere ad generationem rerum putauit, quoniam ab illa videatur procedere ipse motus: Est autem vtraq. opinio digna reprehensione atq. in primis opinio Platonis, quando quidem mirum videatur, cum Idęę sint eterne eodemq. modo semper sē habentes, cur non omnia semper generētur, non autem modo sit generatio. modo verò non, quemadmodum herbarum & quorundam animalium, quæ statis temporibus generantur, preterea non videntur iste formæ separate sufficere, vt particulare aliquod generetur, quemadmodum experimur in artibus contingere, non enim arte medica sanitas vt acquiratur, sanitas sufficit, quæ est in mente medici, sed habitus medicine, cum medico requiritur, similiter cum generatio sit huius & illius hominis, Sol. minime sufficit vt generetur Socrates, sed opus est Socrate patre, qui ad Platonis generationem concurrat, in generatione plantarum semen solum concurrit, in quo est spi-

53 ritus & calor, qui sunt causæ vt hæc vel illa planta germinet & pullulet. Anaxagore opinio etiam non caret calumnia, & si magis naturaliter quam Plato loqui dicatur, cum efficientiam materię tribuat, materia enim & si sit subiectum motus, non tamen ab illa motus procedit, tanquam ab agēte, quia fieri non potest, vt vnum & idem dicatur agens & patiens, in sui actione, cum ergo materia ob potestatem, quæ sua est essentia, passiuum sit principium generationis, nullo modo actiuum dici potest, quod etiam in artibus contingit, in quibus principium materiale nihil efficit, sed solum patitur, quia si moueri posset minime effectrice causa opus esset, vt artefactum fieret: cum ergo non solum lignum vt scamnum fiat, sed fabrum lignarium concurrere opus sit, profectò materię nullus motus actiuus tribui potest, sed tantum passiuus, quare ista opinio digna reprehensione est. cum causam efficetricem pretermittat, a, qua est principium vnde motus

de motus atq. quoniam causam formalem etiam omittere videntur, quoniam omne quod fit a, sibi simili in forma fieri Metaphy. 7. docuerimus, & alibi, cuius gratia videtur materia pati ab agente, ab eoq. moueri, preterea formam ideo omittere dicuntur, propterea quòd in naturalibus nunquam coincidat materia cum forma, quemadmodum efficiens, non enim aqua ex se ipsa animal facit, nisi calor Solis veluti efficiens concurrat, vt cum estatis tempore ranas pluere contingit, animaliaq. insecta generari post imbres, aqua sola quæ ha-
54 bet rationem materiæ illa producere nequaquam potest. Nec opinio hæc defenditur, si quispiã dixerit cum Parmenideis potentias, quæ sunt in materia sufficere ad ipsam generationem, quemadmodum calor & frigus esse dicuntur, quoniam iste qualitates siue potentie instrumentalis causæ rationem & vim ha-
55 bent, quæ quidem absq. efficiente nihil efficere potest, Quemadmodum experimur serram, quæ instrumentum est fabri lignarij ex se minime secare, aut diuidere ligna, sed cum a, fabro mouetur: quare calor & si segregare dicatur, frigus vero cõgregare, instrumentaliter tamen mouent, non autem modo cause effectricis, ignis enim est, qui calore agit, aqua frigore in generatione partium similarium, siue corporum quorum simplex est generatio: Effectiua igitur causa requiritur preter formam & materiam, quas Plato & Anaxagoras cum Parmenideis sufficere putarunt ad rerum generationem: Etenim libro 2. phy. auscultationum inter modos causarum etiam effectricem connumerauimus, quam diximus esse principium vnde motus, lib. autem phy. 8. effectricem causam generationis & corruptionis horum inferiorum circularem cœli lationem fore, docuimus, qui si cessaret, omnia esse desinerent, nihilq. posset perennitatem habere, quoniam prima latio causa sit ceterarum, est enim hæc generationis causa, non autem generatio illius, nam quod loco fertur est, quod generatur non est, quemadmodum 4. phy. monuimus, cum autem id quod est rationabilius sit facere causam eius quod non est, quia prior existit, profectò necessarium est fateri, lationem primam, causam ipsius generationis esse, quod si ita sit, erit causa effectrix profectò ortus & interitus eorum, quæ natura generantur et corrũpuntur. tres igitur cause preter finalem concurrunt ad generationem rerum, quæ perpetua est, ob eternitatem quam in individuis seruare nequeunt hæc mortalia, sed solum secundũ speciem, nec alicui mirum fortassis videri debet, primam lationem contrariarum mutationum causam esse, quoniam inequalitas in ea secundum eam lationẽ cum sit, quæ fit in circulo obliquo, iccirco contingit, vt accedente ad nos Sole generatio rerum fiat, recedente verò corruptio, quemadmodum toto anno experimur, in quo vere omnia pululant, autumno autem interire incipiunt, continuitas autem motus cœlestis, qui circularis est, perpetuitatis eorum causa existit, & quod nunquam species rerum deficiat, quemadmodum capite sequenti ostendemus.

CAPVT SECVNDVM, QVAE SIT CAVSA perpetuitatis generationis & corruptionis, quòd oporteat deuenire ad vnum primum, & a, quo dicatur motus continuitas.

96 *EXPLICATIS his, quæ ad causas generationis corruptionisq. in vniuersum pertinere videbantur, operepretium est modo, vt causam adferamus, ob quam perennem siue perpetuum contingat esse rerum mortalium ortum atq. interitum, si quidem ea, quę antea attulimus, dubitationes habeant, in quibus supposuimus, continuam rerum inferiorum generationem corruptionemq. esse, propterea quòd preter causam priore libro allatam, quòd semper generatio vnius sit corruptio alterius, & econuerso, etiam primum motum, qui perpetuus continuusq. est, causam esse dixerimus, ob quam has mutationes nunquam deficere necessarium sit: Etenim contrariorum contrarie cause cum sint, nequaquam videtur fieri posse, vt primus motus, qui est vniformis & regularis, quēadmodum 8. phy. docuimus, sit causa, quòd due omnino oppositę mutationes fiant, idē enim eodemq. modo semper se habens, idem facere aptum semper erit, non autem ea quæ omnino sunt diuersa, quare opus erit, multos contrariosq. in cœlo facere motus, aut secundum ipsam lationem, aut secundum ipsam inequalitatem, adhoc vt possit non solum generatio, sed etiam corruptio perpetua seruari, nisi contrarietas aliqua in motu cœli ponatur, aut semper erit generatio, aut semper erit corruptio, cum autem vtramq. semper fieri videamus, querenda est huius rei vera causa. Itaq. cum primus motus non videatur esse causa vtriusq. cum in eo nulla cadat inequalitas, existimandum erit motum, qui fit in obliquo circulo, hoc est in Zodiaco, in quo cadit inequalitas, ex accessu & recessu a, nobis, causam tum ortus, tū interitus esse, quæ omnino oppositę sunt mutationes, in eo autem cū sit continuitas, propterea vtrāq. mutationem perpetuam esse contingit, inequalitas ergo, quæ in Zodiaco apparet propter accessum & recessum Solis inter Tropicos estiuum atq. hibernum, causa est, quod generatio & corruptio in mundo inferiori contingant, quòd verò vtraq. mutatio nunquam deficiat, nec de futura sit, continuitas motus causa est: nimirum ergo est, si oppositę perpetuentur mutationes in mortalibus, quia in circulo obliquo motus continuitas & inequalitas adsunt, inequalitas accessum & recessum a nobis sequitur, ita vt videamus Sole accedente in vere fieri generationem plantarum, recedente autem in autumno, interitum euenire. Manifestum igitur est, vt seruetur perennitas vtriusq. mutationis, necessarium fore, vt aliquid semper motuq. incessabili feratur, nec non duobus motibus diuersis, quia ab vnitate motus perennitas procedit, ab inequalitate verò diuersitas mutationum, in Zodiaco autem vtrumq. adest, motus continuitas, cuius causa est primi mobilis motus, & inequalitas, quam diuersitas motus efficit, accessus videlicet atq. recessus, qui si semel in anno fiant, semel etiam*

etiam generatio & corruptio accidit, vt in nostro climate, si autem bis eueniat,
57 iterantur istæ mutationes, vt sub equatore, siue sub equinoctiali circulo. Atq. ortum, interitumq. naturalē in equali tempore fieri, qui secundum naturā est, non autem violenter, sex enim mensibus cum Sol ad nos accedat, totidemq. recedat, equale necessarium est, esse tempus, quo res generantur & corrumpuntur, siue hoc semel in anno contingat, siue bis. Ita vt equale sit vtriusq. tempus. Vita & tempus vniuscuiusq. numerum habent, numeroq. ipso determinantur, cum in rebus omnibus ordo & mensura quædam reperiatur, similiter omne tempus & vita quodam circuitu, siue periodo mensuratur, non tamen vno & eodem omnia, quoniam alia minori tempore vitaq. breuiori mensurantur, & viuunt, alia vero diuturniori, alia enim anno mensurantur, alia sex annis, alia decem, alia pluribus, tum in indiuiduis eiusdem speciei, tum in ipsis speciebus, longiori enim tempore elephas & homo viuunt, quàm equus & cānis, cuius rei varie sunt causæ, quas in lib. de longit. & breuit. vitæ, alibiq. docuimus. quod non solum in animalibus, sed in plantis etiam & in animatis esse experimur, alia diuturniora, alijs esse, ita vt magna sit latitudo vitæ horum mortalium, quæ sub glo-
58 bo Lunæ continentur. Esse autem causas ortus et interitus accessum & recessum Solis sensus indicat, equaleq. vtriusq. mutationis tempus esse, adueniente si quidem Sole generatio, recedente verò corruptio, in equaliq. tempore vtraq. mutatio contingat: quòd si quandoq. eueniat vt non sit equale tempus generationis & corruptionis eius, quæ secundum naturam est, ita vt in minori tempore res genitæ corrumpantur, hoc elementorum confusionem seu mistionem sequitur, quæ in mistorum generatione rationem materiæ habent, ita vt materia inequali existente, hæc diuersitas contingat: ex varia preterea effectricis causæ & materialis collisione, rerum periodus variatur, quoniam variam agentis & patientis proportionem mutatio temperamenti sequatur, quæ causa est breuioris aut longioris periodi in indiuiduis vnius & eiusdem speciei, in ipsisq. speciebus: iccirco morboso, & frigido temperamento præditos citius interire videmus, quàm sanos & calido temperamento, nisi violenter intereant: quòd etiāsi accidat, nihilominus tamen, semper continua siue perpetua erit rerum generatio & corruptio, atq. nunquam deficere poterit, si quidem motus cœli perpetuus sit indeficiensq. nec non materia eorum, quæ natura generantur & corrumpun-
59 tur. Nunquam verò generationem defuturam, finis rerum natura constantium etiam indicat, quoniam omnia suapte natura, id quod melius est, appetant, melius enim est ipsum esse, quàm non esse, quoniam ipso esse optimo, & diuino participare videntur, cum Deo assimilentur, qui semper vere est, & in quo rerum omnium bonitas & essentia relucet, esse igitur bonum cum sit, ipsum vero non esse malum, melius autem sit entibus esse, quàm non esse, non est dubitandum, quòd nunquam defutura sit generatio rerum, a, qua eternitatem quandam consequuntur secundū speciem, ipsum tamen esse multis modis cum di-

catur, veluti in Metaphy. docuimus, illo equaliter entia omnia minime participant, cum alijs viuere et esse clarius, alijs verò obscurius datum sit, quemadmodum in exordio operis Meteorologici scripsimus, a Deo enim cum omnia sint producta, & ab eo dependeant, quæ illi valde sunt proxima & similia, meliori esse participant, vt mētes diuine, cœlestia corpora, quæ verò a, Deo maxime distant, obscurius esse habuerunt, Deus igitur vt sua diuinitate vnumquodq. quantum illius natura patitur, participaret continuam rerum omnium & perpetuam efficit generationem, quia ita maxime esse rerum seruatur, & quia proxime est substantiæ, semper fieri generationem, hoc est maxime proprium indiuiduis substantijs, vt generentur, siquidem singularium & suppositorum vere sit generatio, veluti lib. 7. Metaphy. docuimus. Quod autem semper substantiæ generatio existat. nec defutura sit, causa est latio circularis ipsius cœli, quæ sola est continua. veluti lib. 8. phy. demōstrauimus, quam ea quæ recto motu feruntur, veluti quatuor elementa immitari videntur, cū continuā habeant ex scinuicem generationē, ita vt ex aere generetur aqua, ex aqua aer, circuluſq. in eorum adinuicem mutatione appareat, qui nisi illis datus esset, non posset eorum generatio continua esse, si enim recta solum illorum generatio, esset aliquādo illam deficere cessareq. oporteret, cum autem motus rectus possit circularem immitari, propter-
60 ea fit, vt continua sit eorum generatio. Quod si ita sit, non est cum Empedocle dubitandum, propter quid singulis corporibus in propriam regionem latis, in infinito tempore non distrahuntur corpora, nam quod adinuicem misceantur & confundantur, non autem omnino segregata abinuicem maneant, iam infinito tempore causa circularis motus cœli esse videtur, mutationis autem eorum adinuicem continue motus Zodiaci, qui continuus est & inequalis: nisi elementa inuicem confunderentur, nullum mistiorum a, natura produceretur, causa igitur generationis & corruptionis rerum, iam est aperta, motum Solis in Zodiaco inequalem esse, perennitatis verò vtriusq. mutationis esse motum illius continuum, quem a, motu primi mobilis habet, similiter manifestum est, quid nam sit,
61 generabile et corruptibile, ex his quæ antea docuimus. At cū lib. 2. phy. ausc. docuerimus, summam causam in perfecta cognitione redendam esse, satis minime est, vt dicamus lationem circularem, quę continua existit, causam fore, vt nunquam generatio rerum deficiat, sed necessarium est priorem causam assignare, ob quam videtur motus hic perpetuus & continuus prouenire: etenim cum lib. 8. phy. demonstratum sit, necessarium esse, vt sit aliquod mouens, si fuerit motus, & si motus semper extiterit, opus esse vt sit aliquod mouens, quod semper moueat. atq. si motus fuerit continuus, oportere quòd mouens vnum et idem sit immobile & sempiternum, nec non indiuisibile, deinde autem, si plures fuerint circulares motus, multa esse mouentia, quæ tamen ab vno principio dependeant: etenim cum vno eodemq. motu orbes ferantur, quia motum primi mobilis preter proprium habeant, ab vno principio eorum mouentia dependere patet.

Motus

Motum autem circularem continuum esse tempus continuum, quod est mensura motus, quemadmodum ex definitione illius in 4. phy. posita habetur, indicat, cum sit impossibile ipsum tempus sine motu esse, quare tempus hoc continuum mensura alicuius motus continui erit, quem circularem fore ostendimus libro phy. 8.

62 A quo autem continuitatem motus habere dicatur, cum in motu mouens sempiternum concurrat locus, & mobile, dubium esse videtur: etenim vt paucis agamus nulli dubium esse debet, continuitatem potius mobili deberi quàm loco, quoniam locus per se non dicitur continuus, sed per accidens, eoquòd habeat in se corpus continuum, locus enim per se existentiam nullam habet, quoniam locus nihil aliud est, quàm habitudo quedam continentis ad contentum, quapropter eoquòd corpus sit continuum, locus quoq. est continuus, igitur inter magnitudines cum sola circularis sit continua, quia in illa semper est aliquid consequenter accipere, cum principium, neq. finem habeat, ab illa motus continuitas sumitur, non autem a, loco, temporis verò continuitas motus continuitatem sequitur, nisi motus continuus esset, tempus continuum nequaquam foret.

CAPVT VLTIMVM, QVO PACTO IN IPSIS rebus conuersionis & reuersionis fiat necessitas, ac quo etiam pacto non fiat.

VT finem imponamus huic operi, necessarium est, vt alteram questionem satis arduam tractemus, quæ ad ea consequitur, quæ de perennitate generationis

63 antea docuimus. Nam in his quæ semper mouentur, secundum generationem, aut alterationem, aut omnino transmutationem, cum videamus consequenter existens, atq. hoc post hoc generari, ita vt nunquam generatio ipsa deficiat, considerandum ideo est, vtrum sit aliquid, quod ex necessitate erit, aut nihil, sed omnia contingit non facta esse, acsi dicamus, vtrum omnia sint ex necessitate, ita vt ad primum necessario sequatur secundum, aut sint contingentia, ita vt omnia generari & non generari contingat: etenim quòd quædam contingentem exitum habeant, manifestum est, sed si non omnia sint huiusmodi, hoc est quod que-

64 rimus. Quòd autem quædam ex necessitate eueniant, ita vt priori posito, ex necessitate secundum ponatur, vsus loquendi in primis declarat, in his enim quæ nondum sunt, sed in futurum tempus esse possunt, consueuimus vti verbo erit et futurum est, verbum erit his, quæ necessario fiunt accomodantes, verbum futurum est his, quæ contingenter potius euenire putamus, vt si dicamus erit Sol in Leone, hoc fieri non potest, quin non eueniat, stante mundi eternitate, & quòd post ver erit estas, si autem quispiam dixerit, futurum bellum nauale, fieri potest vt eueniat, et non eueniat, quod si non contingat, nihil tamen prohibet, nunc dicere futurum bellum nauale, ita vt cum non euenerit, non sit mentitus, qui hoc dicit, quemadmodum si dixerit aliquem ambulaturum, qui tamen non ambula-

65 bit. Nec videtur carere ratione questio proposita, ob aliam causam, quæ a, re-

rum differentia sumitur, quoniam entium alia videantur habere esse ex necessitate, ita vt impossibile sit ipsa non esse, alia verò non videantur habere esse ex necessitate, sed esse possibile, vt habeant esse vel non esse, eodem etiam modo se habet in his, quæ generantur, vt hæc quidem ex necessitate generentur, hæc verò contingenter: nam si quid habeat esse ex necessitate, etiam ex necessitate generabitur, & si quid contingenter esse habeat, & generationem contingentem
66 habebit. Querendum igitur est, nullo ne modo in his, quæ contingunt esse et non esse, sit ipsum necessarium, an verò quodam etiam modo contingat in illis, necessarium esse, secundum quod dicimus priori posito ex necessitate secundum erit, vt proiecto semine in terram fruges nascentur, ex necessitate q. erunt: Etenim si aliquo modo necessarium in contingentibus saluauerimus, non erit postea dubitandum, quomodo nam necessarium sit, perpetuam esse generationem, atq.
67 hoc post hoc semper fieri & generari. Vt questio proposita dissoluatur, repetenda sunt hoc loco ea, quæ libro 2. phy. cap. vltimo docuimus, nec non in principio lib. de partib. animalium. Naturam cum propter finem agat, qui quidem finis forma rei est, quæ generatur, videri necessitatem aliquam in his, quæ generãtur reperiri. At cum duplex sit necessarium, alterum simpliciter, alterum verò ex suppositione, alterum generabilibus & corruptibilibus competere, alterum verò rebus sempiternis dicitur. Necessarium simpliciter illud est, quod proprie necessarium est, & quod multipliciter se habere non potest, quapropter hec aliter & aliter, quemadmodum Metaphy. 5. docuimus. in cap. de Necessario distinguitur autem tale necessarium a, necessario ex suppositione, quoniam necessarium absolute illud est, in quo nullius finis habita ratione, sed ob talem naturam materiæ necessario aliquid gignitur. Necessarium verò ex suppositione illud est, in quo fine constituto, aliquid fit, non tamen absq. tali materia, ita tamen vt necessitas non a, materia pendeat, sed a, fine, qui materiæ necessitatem imponit, vt cum dicimus serram cum secandi gratia sit, illam ferream esse oportere. ita vt ferro posito non sit necessarium serram esse, sed vsu secandi posito, serram ex ferro constare oportet. necessarium ergo ex suppositione illud est, quod in his quæ generantur reperitur, non autem necessarium simpliciter, siquidem natura quicquid agit, alicuius finis gratia semper agat: ita vt si secũdum fuerit, necessarium sit, id quod est prius substitisse, nam si homo sit genitus, semen prefuisse oportuit, hocq. necessarium ex suppositione efficit, quod in rebus generabilibus reperitur. necessarium autem simpliciter illis inesse non potest, cum talia contingat esse et non esse, non autem semper esse, quemadmodum eterna, erit ergo necessarium simpliciter illud, quod sua natura tale existit, non autem propter aliud, vt si secundum fuerit, non propter id quod est primum, sed ex sui natura, quoniam talis est illius natura, vt non possit non factum iri, necessarium ex suppositione non est ex sui natura, sed propter primum necessario factum esse dicitur, & pluuia quia genite sunt nubes in media aeris regione, & lectum factum, quia materia conueniens

68 ueniens presens erat. Duplex autem cum sit necessarium, simpliciter solum illis ineſt, quæ circulo mouentur, non autem his, quæ in rectum feruntur, quod ita esse, ex ipsa diuisione facile astrui potest. quod enim in rectum mouetur, aut generatur, aut in finita, aut in infinita, recta generatur atq. mouetur, in vtrisq. autem impossibile videtur, quòd detur ipsum necessarium simpliciter, in his enim, quæ in infinitum recta generantur, non dari simpliciter necessarium, definitio illius ostendit, nam si necessarium simpliciter illud est, in quo ad primum ex necessitate secundū ex sui natura sequitur, in infinito autē cum non detur, nec prius nec posterius, primum et secundum adesse nequeant, videtur omnino tolli necessarium simpliciter ab his, quæ in infinitum recta generantur. preterea videtur impossibile affirmare in infinito aliquid factum esse, quoniam infinitam distantiā impossibile sit pertransire, in illis autem, quæ recta infinita generantur, etiam non reperiri ipsum necessarium simpliciter, natura illius declarat, quandoquidem nihil aliud sit, aliquid simpliciter ex necessitate fieri, quàm aliquid esse impossibile non fieri, quod autem impossibile est non fieri, semper sit, at semper fieri aliquid in recta finita est impossibile, quoniam quod semper fieri dicitur, aut secundum continuam & vnam genarationem, fieri dicitur, aut secundum plures & rursus, vt cum dicimus Solem ex necessitate in ariete moueri, non quia in vniuersum in ariete secundum continuum fiat, quia etiam in alijs signis mouetur, at quia rursus & rursus & hoc semper fiat: secundum priorem modum vt vna et continua sit generatio, impossibile videtur, quia hoc absurdum contingeret, semper esse id, quod contingit non semper esse, nam si recta in infinitum mouebitur, terminata ipsa recta, quiescere oportebit, atq. non semper esse: secundum alterum modum, qui est secundum plures generationes & rursus, etiam impossibile est, vt vna continuaq. sit generatio secundum circulum, vel quòd aliquid vno motu eoq. continuo moueatur, quia hoc videtur reflexionem quandam sempiternam inducere, quæ reflexio in circulari solum inest, quæ eterno tempore fiat, non rectè in quā motus non potest esse continuus, quia in medio quiete intercipitur: Necessarium ergò simpliciter solum inerit his, quæ circulo mouentur & eternis, non autem his, quæ recta feruntur, generabilibus & corruptibilibus: sola igitur latio circularis cum vna sit & continua, partesq. habeat solo numero, non autem specie distinctas, necessarium simpliciter admittit, illa enim cum etiam eterna sit, primo posito in ea secundum de necessitate ponitur, secundoq. posito primum esse oportet, & hoc semper & continue fieri, vt primo posito ex necessitate secundum fiat, & ad secundum tertium sequatur, & ad hunc quartum, & in infinitum ita vt nunquam defutura sit generatio siue species, quæ eterna est, & si singularia pereant, quare siue per duo, siue per plura motus seu generationis continuitas fiat, in circulari tantum generatione dabitur necessarium simpliciter, & ipsum factum esse, & si dabitur factum esse, dabitur quinetiam hoc circulo generari, non autem recta, hæc enim conuertuntur.

Necessarium

70 Necessarium autem ex suppositione in his, quæ possunt esse & non esse, veluti sunt entia contingẽtia dabitur, quia plãta germinata necessarium est semen præfuisse, in sempiternis autem vtrumq. quia in quibus est necessarium simpliciter, etiam reperitur necessarium, ex suppositione non autem econuerso, circulari verò generationi tantum necessarium simpliciter inesse, rationi consentaneũ est, cũ circularis tantũ motus continuus eternusq. sit, veluti lib. 8. phy. demõstrauimus, & causa quod perennis sit rerum generatio, propterea quòd primus motus sit aliorum motuum causa, nec non quòd eterno motu feratur Sol in circulo obliquo, a, quo generatio corruptioq. omnium inferiorum procedit. ita vt motu Solis cum anni tempora semper generentur, ab illis hæc mortalia continuo gene-
70 ri contingat, Itaq. Solis motus perpetuus cum sit materiaq. semper presens, ita vt fieri non possit, quin perpetua & continua non sit rerum omnium generatio, dubium suboritur propter quid contingat, vt secundum speciem redeant omnia circuloq. generatio omnis perpetuetur, non autem secundum numerum, cum videamus ex aqua fieri aerem, ex aere aquam, ex nube pluuiam, ex pluuia nubem, homines verò et animalia minime eadem numero redeant, nec iterum idem generatur, & in seipsum reflectitur: nam si pater generatus est, filium generatum esse, non est necesse, sed si filius genitus sit, necessarium est patrem generatum esse, ita vt tantum secundum rectum, generatio indiuiduorum possibilis esse videatur. Hæc autem dubitatio facile euitabitur, si causam intellexerimus, ob quam contingit, quòd quædam secundum numerum redeant, quædam verò secundum speciem, non autem omnia similiter, hoc est secundum vnum eundemq. modũ redeant: Etenim entium alia cum sint eterna, alia verò generabilia & corruptibilia, æterna eadem numero redire possunt circulo, quoniam in motu eadem manent, motus autem cum sequatur id quod mouetur, veluti lib. 6. phy. docuimus, mirum non est, si eadem numero redeant, quia vnũ motum numero habent. Sol enim idem permanet, existens prius & posterius, iccirco vnum sit secundum numerum, idem enim secundum formam Sol reuertitur in obliquo circulo, entia verò generabilia & corruptibilia eadem numero circulo redire nequeunt, sed solum specie, & si ex eisdem & similibus fieri videantur, quia in motu circulari non idem permanet, corruptibile existens prius & posterius, sed omnino corrumpitur, cum autem a, priuatione ad habitum in substantijs, non detur regressus, iccirco hæc mortalia post eorum interitum, eadem numero redire non possunt, quemadmodum Plato & Astronomi putarunt, de quo quantum res ipsa exigit disputabimus.

FINIS PARAFRASIS IN LIBROS
Arist. de ortu & interitu.



ANTONII BERGAE
TAVRINENSIS,
IN ACADEMIA SVBALPINA
DOCTORIS PHILOSOPHI ET MEDICI,
DISPVTATIONVM SELECTARVM
LIBRI DVO, IN LIBROS
ARIST. DE ORTV,
ET INTERITV.



AVGVSTAE TAVRINORVM
Ex officina FRANCISCI Dulcij.
M. D. LXVIII.

ANTONII BERGAE

TAVRINENSIS,

IN ACADEMIA SVBALPINA

DOCTORIS PHILOSOPHI ET MEDICI,

DISPVTATIONVM SELECTARVM

LIBRI DVO, IN LIBROS

ARIST. DE ORTV.

ET INTERITV.

AVGVSTAE TAVRINORVM.

Ex officina FRANCISCI Delcij.

M. D. LXVIII.

ILLVSTRISSIMO SABAVDIAE CANCELLARIO THOMAE LANGVSCO COMITI STROPPIANAE,

SVMMOQ. ACADEMIAE TAVRINENSIS MODERATORI,

ANTONIVS BERGA S. D.

SI pro voto hominibus omnia contingerent Illustrissime Cancellarie, nemo profectò esset, qui de humana beatitudine amplius dubitaret; At cum maximam quotidie rerum humanarum vicissitudinem experiamur, nemini mirum esse debet, si nihil omni ex parte beatum fore dicatur, quemadmodum ego ali quando probaui, qui nonnullos fluctuantis fortunę impetus sustinui, a quibus iam obrui videbar, nisi tua opera eum in Academia Serenissimi Principis locum obtinuissem, in quo pro mea ætate nonnihil aliquando Philosophiæ studiosis prodesse videbar, nunc vero etiam his, qui ad artem medicam properare contendunt, vtilis esse videor, de quo mihi summopere cum sit letandum, ne cum medicinam publice doceo, sapientiæ studia contemnere videar, hasce in libros Arist. de ortu & interitu satis arduas atq. præclaras disputationes edere cogitaui, illasq. tibi nuncupare, ne laudem eam quam ex Philosophiæ studijs mihi superesse intelligebam, liuor aut aura popularis adimeret, quam iam obscurare videbantur, nisi tuo fretus numine, studia mea in dies resurgerent, incrementumq. aliquod susciperent; de quo ego tibi plurimum cum debeam, alium nolui Mœcenatem habere, quàm eum hominem, qui sanguine præclaro ortum duceret, nec non qui maiorum gloria & stemmate suisq. virtutibus nulli secundus extiterit, qui pro Serenissimo Duce nostro domi & foris non solum strenue certauerit, verumetiam mature rebus suis consuluerit, quemadmodum negocia, quæ apud Carolum Quintum Cæsarem & summos Reges sapienter fœliciterq. admodum gessisti, palam omnibus fecerunt, nec non rerum omnium summa cui te Princeps preesse voluit. in qua cum versaris, si iustitiam in primis mentemq. tuam perfectam quicunque expenderit, te aliorum bono & honori semper consulere, probabit, ita vt si aliquem Magistratus virum perfectum ostendat, tu is sis quod certe tibi maximo est honori, nec non his, qui ad te confugiunt, commodo. Præterea si prudentiam quam omni negocio adhibes, ad memoriam reuocauerit, nihil absq. recta ratione te facere intelliget, quæ res maximam laudem his, qui Reipublicæ presunt adferre solet: cum sine prudentia quæ recta ratio est agibilium, nihil firmum

atq. perpetuum esse posit, quibus si animi magnitudinem etiam adiunxerit, nihil profecto erit, quod in te desiderare possimus. Patriam enim parentes Deos pænates relinquere non dubitasti, omniaq. in ipsa adolescentia subire pericula, vt pro Serenissimi Ducis tui gloria suorumq. populorum bono certares, ita vt alijs potius quam tibi natus videaris, quo quidem nihil diuinius, nihil melius homini contingere potest. Ex quo tandem factum est, vt te omnes admirentur, summoq. in honore habeant, pulchrum enim est, maiorum gloriam si superare non possumus, illam tamen totis viribus emulari, quod quidem te prestitisse, illi intelligent, qui egregia tua facta maiorum tuorum virtutibus comparabunt: quarum laudes egregias veteres nouiq. historici ita prosequuti sunt, vt nullus mihi locus relictus sit, vt rem tam preclaram suscipiam. Tuum igitur erit Illustrissime Cancellarie, munus hoc meum humaniter suscipere, Quod si vt spero effeceris, maiora aggredi ad comunem studiosorum vtilitatem nequaquam dubitabo. Vale.

ANTONII BERGAE
TAVRINENSIS PHILOSOPHI ET MEDICI.

DISPVTATIONVM SELECTARVM LIBRI DVO, IN LIBROS ARIST. DE ORTV ET INTERITV.

Disputatio prima, de Creatione.

DISPVTATIO antiquâ & præclara proponitur, an rerum omnium, an quarundam creatio sit cum Theologis & Platone, an vero nullius creatio extiterit, ita vt entia necessaria a se ipsis esse habeant, contingentia autem generatione proprium esse consequantur; Non enim desunt rationes, quæ in vtranq. disputationis partem adferri solent: quarum præcipuas hoc loco recensebo. At cum antiquior eorum sit opinio, qui creationem dari profitentur, aut nouam, aut æternam, eorum rationes primum recitabo, quarum prima hæc est. Deus enim cum sit omnipotens, infinitaq. virtute præditus, ex nihilo omnia potuit creare, quod nisi præstitisset, agentia minime superaret, quæ virtutem finitam habent, quæ ex non ente actu producunt, ex nihilo ergo Deus omnia produxit. Præterea omne quod factum est, cum aut ex ente, aut ex non ente factum esse, oporteat, ex ente autem nihil factum esse videatur, quoniam sequeretur, ipsum ante illius productionem esse, igitur ex non ente erit productum, quod nihil cum sit, erunt omnia creatione, ex nihilo producta. Præterea formæ aliquæ separatæ cum sint & immortales, quæ solute corporibus. sempiterno tempore manent, illas saltim creatione non autem ex aliqua materia productas esse existimandum est: non enim perpetuarentur, si cum corporibus ex aliquo producerentur. Præterea cum nihil seminis maneat, ex peripateticorum sententia in generatione animalis, habeatq. solum rationem efficientis, in sanguine vero menstruo, in quo nullus est spiritus, anima nec actu nec potestate insit, videamusq. animatum oriri, necessarium est, vt creatione anima corpori formato infundatur. Præterea Dei voluntate omnia ad nihilum redigentur, igitur ex nihilo potuit omnia creare. Præterea nisi daretur creatio, primum effectum dari minime contingeret, qui quidem non nisi ex nihilo produci potuit, si enim ex aliquo priore fieret, primus effectus non esset, relinquitur ergo dari aliquid, quod creatum sit, non autem

genitum ex aliqua priori materia, cuius generis est materia prima. Præterea motus est effectus primo mouenti coeternus, & tempus motui, si coeterna hæc sunt, ergo principio carent, quod si carent erunt ex nihilo, non autem ex aliqua materia a Deo producta. Hæ autem precipue sunt rationes, quæ creationem defendunt, quibus illas subijciam, quæ illam omnino euertunt, a peripateticis desumptas: quarum prima hæc est, si aliquid ex nihilo produceretur, hoc incommodum sequeretur, naturam possibilem in necessariam mutari, quoniam cum ea sint contingētia, quæ a non esse transeunt adesse, necessaria verò ea, quæ esse perpetuum aliquo modo habent, quæcunq. autem quæ ex nihilo facta sunt, immortalia euadant, quia nullam materiam habeant, quæ corruptionis eorum causa esse possit, nulli dubium est, quòd natura possibilis in necessariam mutabitur. Præterea si quippiam ex nihilo fieri contingeret, hoc sequeretur incōmodum, aliquando fieri aut factum aliquid esse, quod fuit impossibile, quoniam aliquid fieret, cuius nulla præfuit potentia, quæ in materia non autem in agente esse habet. Præterea si creari ex nihilo aliquid contingeret, aliud incōmodum sequeretur, aliquid quod potentia erat, in instanti factum esse, quod sanè est impossibile, cum transitus ab vno contrario ad alterum, non nisi in tempore fieri valeat, cum alterationem exigat. Præterea aliud incommodum sequeretur, Deum in nihil agere, si omnia aut aliqua ex nihilo produceret, quod quidem est impossibile, cum inter Deum et nihil nulla sit proportio, est enim Deus summum ens, ipsum autem nihil summum non ens. Præterea si Deus ex nihilo aliquid creauit, vel id præstitit sua actiua potentia, vel passiua, non passiua, quoniam hæc Deo, qui est purus actus repugnat, igitur actiua, hæc autem cum absq. subiecto nullam efficiat mutationem ideirco ex nihilo Deus nihil produxit. Præterea si ex nihilo Deus quippiam producit, aut in tempore, aut in instanti, si hoc contingeret, quoddam impossibile sequeretur, aliquid simul esse, & non esse si verò in tempore, non potest absq. subiecto & motu fieri, igitur nullo modo ex nihilo aliquid fieri poterit. Præterea vnum incommodum sequeretur, transmutationem esse absq. transmutatione, aut transmutationem in priuatione esse, deinde autem priuationem generationis subiectum esse, Deumq. nihilo dare esse. quæ quidem omnia valde sunt absurda. Alias rationes cum Peripateticorum sententiam tuebimur, adferemus, quæ igitur recensuimus, hoc in parte sufficiant.

TRES sunt in hac disputatione opiniones, ad quas cetere reducuntur, quarum prima Theologorum est, secunda Platonis, tertia vero Arist. peripateticæ disciplinæ Principis. Theologorum schola, substantias omnes tum mortales, tum immortales a Deo ex nihilo, & de nouo creatas esse, profitetur, quemadmodum scribit Auerroys 12. Metaphy. com. 18. qui creationem introduxerunt, dicunt vnum agens creare totum ens de nouo post nihil, Deus enim etiam si per essentiam agat, non autem per voluntatem, ex nihilo cuncta potuit creare, absq. auxilio alterius agentis, nec non ex parte materiæ, cum sit omnipotens,

de nouo

de nouo autem non ab eterno etiam omnia produxit, quoniam non ex necessitate naturæ agat, sed ex voluntate sui arbitrij: Nec ob id aliqua in Deo mutatio cadit, sed tantum in rebus, quæ ab eo creantur, cum aliquid ex parte formæ presupponat, propter diuersitatem rerum, quæ producuntur, quare ab agente eterno effectum nouum produci, minime est impossibile, cum per voluntatem agat, nec non vt ex nihilo producatur, cum potentia in ipso agente reperiatur: Nullam enim similitudinem primum agens cum particulari agente habet quamuis per voluntatem intellectumq. agat, nec in creatione rerum tempore indiget, cum ipsius temporis sit causa, agens verò particulare tempus requirit, cum motu, quoniam nihil absq. alteratione efficere valeat, aliud igitur esse videtur subijcere factionem tempori, aliud autem tempus factioni subijcere, quod vero Mundus non semper fuerit ex voluntate Dei factum est, similiter & Angeli, siue cum Mundo illos ex nihilo produxerit, siue ante Mundi creationem, quod Theologis disputandum relinquimus. Animas preterea humanas cum sint de perfectione corporis de nouo succesiueq. produxit ex nihilo, non autem simul, filium autem pater ab eterno produxit, qui illi est coeternus.

HANC Theologorum sententiam quantum ad nouam creationem attinet, plurimi philosophorum illiq. prestantes sequuti sunt, in primis autem ex schola Arabum, Algazel cum Auicenna, qui Datorem formarum introduxit, ex Græcorum verò schola Ioānes Grammaticus Christianus. Algazel enim quemadmodum Auerrois scribit in lib. Disputationum suarum, Mundum ex nihilo a Deo factum & de nouo voluntate antiqua esse voluit, non autem voluntate noua, quoniam impossibile sit ab agente antiquo & sempiterno voluntate noua effectum nouum productum aliquando fuisse, quia sequeretur agens sempiternum mutari ex nouo appetitu noui finis, quem nunc preconciperet, quem antea non preconceperat, antiqua igitur voluntate de nouo ex nihilo aliquid eterno tempore preconceptum Deus producere potest, quæ quidem opinio vt clara euadat, definire oportet, quid nam voluntas noua atq. antiqua esse dicantur, noua ergo voluntas nihil aliud est, quàm nouus appetitus noui finis preconcepti, antiqua verò nihil aliud quàm appetitus, qui precōceptionem diuini intellectus eternam sequitur, Deus enim omnia intelligibilia actu cum sit, nouam illorum preconceptionem minime admittit, voluntate igitur eterna ab agente sempiterno nouus effectus produci potest, quod cum efficiat, non mutatur, quia non transeat a potentia ad actum, cum voluntate antiqua preconcipiat Deus in tali tempore hoc aut illud producendum, ita vt antea nullo modo producat, quemadmodum legis Mahumetane principes etiam testantur. Auicennas cum formas ab extrinseco prouenire dixerit, quoniam a Datore formarum producantur, formarum creationem negare non potest. Ioānes verò Grammaticus in libris suis ad Proclum, aperte Mundi creationem de nouo ex nihilo a Deo profectam profitetur, motus & temporis, nec non Mundum voluntate diuina ad nihilum in nouissimo die rediturum,

diturum, quod credimus & pro indubitabo tenemus: quòd Mundus sit creatus, ita ostendit, cum Deus sit in habitu opifex, antequàm Mundum produceret, potuit absq. illo preterito tempore ab æterno fuisse, quemadmodum domificator, qui & si domificandi artem caleat, nihilominus tamen absq. domo habitum retinet, duobus enim modis potentia & actus cum dicantur, quoniam potentia aut naturalem aptitudinem significat, vt cum asserimus puerum gramaticum esse, aut habitum non operantem, vtriq. potentiæ suus actus correspondet, ita vt duobus etiam modis dicatur actus ipse, quorum alter perfectio quædam est, quam primum actum nuncupare solemus, alter verò actus nihil aliud est, quàm operatio, quæ quidem actus secundus vocatur, in Deo ergo potentia, quæ operationem respicit, admittitur, quare æterno tempore mundum precessisse potuit, atq. esse ab æterno, nulla creatura existente. Motum preterea non esse sempiternum ex definitione motus ostendit, quod habet aliquid prius tempore non est sempiternum, motus cœlum habet, quod illum tempore antecedit, igitur motus non est sempiternus, sed de nouo genitus, motum autem habere cœlum prius tempore, ex definitione motus ab Arist. tradita ostendit, quoniam si motus est actus mobilis, mobile autem motum antecedat, quemadmodum lignum ex quo fit ignis, qui mouetur sursum, iam non erit putãdum ipsum motum sempiternum esse. Tempus preterea genitum esse ostendere conatur, ex eo quoniam ex Arist. placitis tempus sit aliquid ipsius motus, si ergo motus fuerit nouus, erit similiter & tempus nouum: eternitas enim tempore non existente, esse potuit, quoniam possibile sit aliquam eternitatis existentiam vel extensionem dari, in qua tempus non erit, nam eternitas cum nihil aliud esse videatur, quàm temporis exemplar, veluti animal exẽplum Mundi dicitur, exemplar autem in hoc suum esse minime habet, vt sit Mundi exemplar, quia non posset absq. Mundo esse, similiter nec mensura vitæ animalis, quæ est ipsa æternitas, in hoc esse habet, vt temporis exemplar sit, quare existimandum omnino est, tempus cum cœlo genitum esse, cum sit mensura motus cœlestis, quemadmodum videtur sentire Plato. qui solus tempus generat. Animam præterea humanam de nouo creatam, in lib. de anima iccirco ostẽdit, quoniam rationalem non solum ratione sed loco ab alijs separat, vegetatiuam enim in corpulentia & crassitie corporis reponit, sensitiuam in spiritu, rationalem verò in toto animato. Quid Plato de Mundi creatione senserit nondum constat, an ex nihilo an vero ex aliquo illum producat, in Timeo enim scribit Deum ab eterno Mundum generasse, qui tamen Deo non est coeternus, nec non primam materiam, quæ tamen a Deo non sunt facta in tempore, sed quoniam vtrumq. causam habeat, est enim Deus causa agens, & finalis omnium, quæ fiunt. Præterea formas omnes animasq. humanas ab eterno a Deo creatas esse, inquit Plato, quæ tamen illi non sunt coeterne, causa verò ob quam Deus omnia produxerit, illius est bonitas, cum enim sit summe bonus, nulla inuidia tangitur, nimirum igitur est, cum nullus in Deo liuor adsit, si omnia

quantum

quantum fieri potuit bona, sibiq. simillima fieri voluit, itaq. ea quæ inordinatæ erant ad ordinem redegit, quoniam hoc iudicabat esse prestantius, Mundum ergo vnicum produxit, & animatum, intelligentiæ capax, vt cum sit totum et omnium animalium continens, & vnus esset, omni pulchritudine donatus atq. cum illum visibilem esse oporteret, quoniam est corporeus, ignem produxit, quoniam absq. igne nihil videri potest, atq. cum omne corpus sit tangibile, nihil verò absq. solido tangi valeat, & solidum nihil esse possit absq. terra, ideo terram in huius operis exordio & ignem creauit, & cum illis media elementa, propter quæ hæc duo extrema coherere possent, ita tandem vt ex omni igne, omni aere, omni aqua, et omni terra, conflatum sit hoc corpus, non autem ex partibus quatuor elementorum, ne aliquid extrinsecum ab illo esset, a quo tandem affici posset, cum Mundum ab omni corruptione & labe immunem facere decreuisset, figuram etiam orbicularem illi tribuit, quoniam quod est omni ex parte sibi simile, perfectum magis est eo, quod est dissimile, hæc enim sunt quæ de vniuersi creatione in Timeo Platonis habentur: quod cum a, parte post eternum faciat, nec non et materiam, nihilominus tamen voluit ea eternitate eterna esse, qua Deus est eternus, quoniam Dei æternitas omnem simul entis infinitudinem comprehendit, Mundi verò æternitas cum fluxu generationis connexum habet, atq. vt sit eternum non a, se ipso habet, sed hoc aliunde obtinuit, quemadmodum prima materia, cuius eternitatis causa est ipse Deus, est enim Deus causans eternum, materia vero & Mundus causata eterna. Hæc autem dixit Plato, in tempore non esse productæ, quoniam Deus Mundum ex nihilo produxit, & quia tempus post Mundum generauit, scribit enim Plato, itaq. quemadmodum illud sempiternum animal est, ita vniuersum hoc pro viribus tale facere, constituit, illius quidem animalis natura eterna est, quod finito operi congruere non potest, iccirco imaginem qui mobilem effingere decreuit, ac dum cœlum exornaret, fecit eternitatis in vnitate manentis eternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocauimus, dies & noctes, menses & annos, quæ temporis sunt partes, quas Mundo nascente nasci iussit: omnem igitur sensilem corporeamq. substantiam genitam dixit Plato, quia causam agentem habeat, quæ tamen illi non est coeterna, etiam si ab eterno illam genuerit, cum causa omnis prior sit causato ratione, quemadmodum Auerroys scribit libro primo Cœli, com. 105. voluisse Platonem Mundum iccirco genitum esse, quia partes illius ratione sint priores, non autem tempore, in quam profectò sententiam illi descendunt, qui mentem Platonis assequuti fuerunt, quoniam materia ratione solum Mundum antecedere dicatur, non autem re ipsa, quemadmodum Deus, qui simul totum producit & partes, quare ex nihilo non in tempore & de nouo genitus est Mundus, sed ab eterno, eodem pacto materia prima, quæ cum Mundo Deo non est coeterna; Hæc autem & si eterna sint, non tamen sicuti Euum eterna dicuntur, cum tempore, quod quædam Eui imago esse fertur, quæ secundum

motum

motum subsistit: in omni ergo tempore factus est Mundus, in omniq. tempore est futurus eternitate temporali, non autem eternitate simpliciter, qua Deus tantum est eternus. Illud enim vere dicitur eternum, quod simul omnem suam habet substantiam, vim atq. actionem, cum vere eternitas semper ei quod est, adesse dicatur, tempus verò & omne temporaneum solum dum fit; ob tempus igitur vniuersum eternitatis est particeps, nec non ipsum tempus, & si non eodem modo quo Enum. nimirum ergo si talia a Deo eterna seruari oporteat, cum eternitate simpliciter non sint eterna. Si ergo ad mentem Platonis sunt quæ proposuimus, erit Mundus a, Deo productus ab eterno, quia ab eo efluxit, non autem de nouo creatus. Nam Deus si semper fuit, Mundum etiam semper fieri oportuit, atq. a Deo fluere, ita vt si quispiam ad initium temporis prospiciat, illum ingenitum ad mentem Platonis asserere possit, vt enim lumen non minus a Sole originem ducit, neq. minus inseruit Soli, si semper acsi aliquãdo profluxerit, efluatq. a Sole, ita etiam Mundum Plato assidue a Deo pendere dixit, ab eoq. genitum. neq. minus ex Deo pendere, si dependerit, pendeatq. quàm si aliquando ceperit, dependere vel desinat.

SARACENI autem videri multorum quidem ex nihilo generationem esse aiunt, non tamen omnium, quia si aliqua ex nihilo a Deo non producerẽtur, hoc summam in Deo argueret imperfectionem, quoniam non videretur maioris virtutis esse, quàm sint agentia particularia, quæ nullo modo absq. materia eorum effectus de nouo producere valent.

ARISTOTELES peripateticæ disciplinæ facile princeps, nullam creationem admittit, quæ aut noua sit aut eterna, ita vt entia omnia cum in necessaria & contingentia diuisa sint, necessaria cum causam agentem non habeant, a se ipsis esse proprium obtinuerint, ita vt solum in genere causæ finalis a Deo dependeant, contingentia verò non nisi generatione esse suum consequantur, quæ subiectum postulat, quod actionis & passionis contrariorum susceptiuum sit, sine quibus aliquid generari est impossibile. Deus enim si aliquid de nouo ex nihilo produxit, necessarium est, vt intellectu aut voluntate hoc produxerit, non intellectu, quoniam non magis nuncquàm antea creasset, quod hoc tempore creauit, cum agens per intellectum per essentiam agat, quod semper eodem modo, nec magis vno tempore, quàm alio agit, quicquid agit, non etiam voluntate aliquis asserere potest Deum aliquid producere, quoniam ratio adferri non posset, ob quàm magis vno tempore quàm alio, Mundum aut alium effectum produxerit, quem si ab eterno per voluntatem minime creauit, erit ergo Deus imperfectus, quod quidem est valde absurdum. Preterea si quippiã ex nihilo fieri contingeret, aliquid fieri aut factum esse aliquando contingeret, quod fuit impossibile, quoniam aliquid fieret, cuius nulla prefuit potentia, quemadmodum antea docuimus. Preterea cum ab agente eterno nouum effectum prouenire sit impossibile, quoniam mutari Deum contingeret, iccirco nullo modo erit creatio. Preterea

rea æterna tempore cum non mensurentur, si aliqua de nouo facta essent, vt cœlum, sequeretur aliquod æternum esse, quod tempore metiretur, cum omne quod factum est, presupponat ipsum fieri, et transitum a, non esse ad esse, quod non nisi in tempore fieri potest: quòd verò ab æterno nihil a Deo sit productum, patet, quoniam omne factum cum actionem passionemq. supponat, repugnat de nouo aliquid dicere factum esse, & ab æterno. Præterea sequeretur aliqua esse Deo coeterna simpliciterq. æterna, post Deum, quod sane est falsum, & impossibile, cum nihil simpliciter sit æternum præterquàm Deus, qui omnino est independens: materiam igitur primam per se ingenerabilem atq. incorruptibilem esse, nec non cœlum corpus simpiternum, tempus & motum docuit Arist. in naturali disciplina atq. a Deo tanquam ab agente minime producta fuisse, intelligentias autem a se ipsis esse libro 12. Metaphy. demonstrauit, ita vt omnia hic adferre non sit necessarium, quæ talia creata nequaquam esse ostendunt.

PRECIPVIS in hac disputatione sententijs allatis, ordo exigit, quo in ceteris vti decreuimus, vt de illis iudicium faciamus, atq. vt perpendamus, quæ nam illarum verior esse dicatur. quod quidem præstare cum sit difficillimum, quoniam catholicam fidem oppugnare dementiam superet. Theologorum opinionem minime confutabimus, quæ fidem potius quàm rationem humanam sectatur. Ad aliorum ergo Philosophorum, qui rationibus creationem nouam aut æternam defendere conantur, disputationem totam conuertere licebit.

IN primis autem Algazelis opinionem multa incommoda sequuntur, inter quæ hoc est præcipuum, dari aliquid, quod tempore infinito sub priuatione prefuerit, quod omnino est impossibile, quia sequeretur, Deum agens simplicissimum nequaquam esse, & necessarium, nec non potentiam habere, quod quidem illius naturæ valde repugnat, cum sit actus purus & simplicissimus: si ergo potentia caret, nec per voluntatem agit, de nouo Mundum producere nequaquam potuit, post tempus verum aut fictitium. Præterea effectus nouus cum voluntatem nouam sequatur, antiquus antiquam, fieri non potest, vt Deus Mundum antiqua voluntate, de nouo ex nihilo produxerit. Præterea si a, voluntate antiqua nouus effectus produceretur, hoc incõmodum sequeretur, per infinitum tempus in agente antiquo appetitum illius prefuisse, quod si dabitur, erit igitur æternus, si æternus, ergo non magis in præsenti tempore aget, quàm in præterito, cum appetitus antiquus vnus & idem semper sit, in quocunq. tempore, quare aut nullum effectum a tali appetitu proficisci oportet, aut semper, & in quocunq. tempore, quod si concedatur, omnia æterna erunt; si autem quispiam dixerit, nouum appetitum, pro rerum nouarum productione Deum habere, hoc illi tribui non potest, cum sit immutabilis, quòd si adhuc aliquis obijciat, fieri posse, vt ab antiqua voluntate actio noua proficiscatur, quam nouus effectus sequitur, propterea quòd Dei voluntas preconcipit effectum, hoc tempore non autem alio producendum, quem antea non producat, dicimus hoc fieri non posse, quoniam adhuc

sequeretur,

sequeretur, aliquam in Deo contingere mutationem ex parte Dei, non autem rei, quæ ab eo creatur, propterea quòd nouam cognitionem et prouidentiam eius habeat, quod Dei essentiam mutari arguit, quæ ab operatione illius minime distinguitur, vt in alijs mentibus separatis, quæ ab eo dependent: Nullo igitur modo antiqua voluntas Deo tribui debet, cum Algazele, nec noua, propter incommoda, quæ proposuimus.

IOANNIS Grammatici opinionem, Simplicius, et Auerroys, lib. phy. 8. validissimis rationibus euertere conantur, quam nos commode confutabimus, si primum illius fundamenta perpenderimus: Dicimus igitur eandem rationem motus noui & sempiterni non esse, quoniam motum sempiternum mobile anteire minime sit necessarium natura & tempore, sed ratione tantum, quoniam motus definitio mobile comprehendat, in nouo autem motu mobile natura temporeq. motum antecedit, quia motus actus quidam cum sit, potentiam supponit, quæ non nisi in mobili consistere potest. Præterea in mobili æterno cum ea sit potentia, cui actus perpetuo adest, necessarium nequaquam est, vt motum natura, tempore q. antecedat, quēadmodum ceteris mobilibus accidit, quæ moueri apta cum sint, nondum tamen in promptu habent omnem potentiam, a qua actu moueantur, aut in loco sint, ad quem ferantur. Amplius mobile motu tempore prius esse, duobus modis intelligitur, altero quòd mobile in quo est potentia, ratione a, mobili distinguatur, in quo reperitur, altero autem vt mobile in quo est potentia ad motum, in actu motum esse dicatur, ita vt motum potentia idem numero sit, cum moto actu: primus modus in motu generationis corruptionisq. reperitur, in quibus materia prima illud est, quod mouetur, quę quidem alterius est rationis a moto, in quo est motus, quod in secundo modo locum non habet, quod Ioannem Grammaticum cum lateret, coactus fuit asserere, motum æternum non esse, sed cœlum, in quo est primus motus, ipsum motum precessisse, quod sanè falsum est, cum cœlum sit motum in actu, in quo nulla est potentia ad motum sed tantum ad vbi: nullo igitur modo cœli motus erit nouus, quod si fuerit, nec tempus nouum erit, quod est mensura, motus secundum prius et posterius. Præterea quęcunq. de animæ creatione profitetur, nullum momentum habent, cum anima non solum secundum essentiam, sed etiam secundum quamcunq. illius potentiam, sit tota in toto et tota in qualibet parte in mortalibus, & si de intellectiua hoc dubium sit, quæ extrinsecus accedit, non autem est potentia in semine, ex quo animal generatur. Quæ verò de Mundi creatione primum ex illius sententia attulimus, nullius etiam sunt momenti, quandoquidem in agentibus per essentiam, nullum locum habeant, sed tantum in his, quæ per voluntatem agunt, Deus igitur cum ex necessitate agat, non autem contingenter, facile rationes illius euitari possunt, quas exactius considerabimus, cum Platonis opinionem tractabimus, quam lib. Metaphy. 12. part. 30. Arist. ex professo euertit.

PLATO in creatione Mundi affirmare videtur motum inordinatum elementorum

mentorum preceſſiſſe, atq. ex illorum ordine Mundum generare, cum ipſo tempore, quod ſi concedamus, hoc ſequeretur incommodum, motum violentum tempore, naturalem motum elementorum preceſſiſſe, quod eſt impoſſibile, Præterea potentiam in cœlo reperiri conſequeretur, cum agens potentiam ſupponat, quod falſum eſſe videtur, quandoquidem in cœlo non ſit materia contradictionis, veluti in mortalibus, quæ habent potentiam ad eſſe & non eſſe; ita vt iam conſtare putem, nullo modo Mundum productum fuiſſe, acſi a, non eſſe tranſierit ad eſſe, quod duabus adhuc rationibus confirmare poſſumus, cælum enim ſi factum eſſet, igitur in tempore, quia vniuerſi partes toto vniuerſo priores ſunt, ſi in tempore factum eſt cœlum, igitur a parte poſt non erit ſempiternum. preterea cum factio vt ita dixerim, nouitatem dicat, nullo modo ab eterno Mundum a Deo genitum eſſe, Plato aſſerere poteſt: Materiam autem a Deo nequaquam genitam eſſe, hac potiſſimum ratione oſtenditur, quoniam aut ex nihilo, aut ex aliquo fuit producta, non ex nihilo, cum ex nihilo nihil generetur, atq. quoniam omne quod producitur, tranſeat ab ipſa potẽtia ad actum, cum a, non eſſe deducatur, ad eſſe, quę quidem potentia cum nõ ſit in Deo, nec non eſſe rei, quę producitur, quoniam actu omnia eſſe 12. Metaphy. demonſtrauerit Ariſt. neceſſariũ eſt, vt aliqua in materia hæc prefuerint, quæ illa quæ producuntur, actu nequaquam ſit, ſed poteſtate, nec etiam ex aliquo dicendum eſt, illam genitam fuiſſe, propterea quòd aut prima materia non eſſet, aut proceſſum in infinitum in principijs materialibus dari oporteret, quod varijs in locis eſſe impoſſibile Ariſt. demonſtrauit: quod ſi aliquis pro Platone dixerit, rationem hanc nullius momenti eſſe aduerſus Platonem, quoniam non de nouo materiam Deus produxerit, ſed ab ęterno, dicimus in primis fieri non poſſe, vt ab ęterno materia a, Deo ſit producta, quoniam materiam contingeret illi coetęrnam eſſe, aut ęternitate ſimpliciter, aut ęternitate temporis, quorum vtrumq. materiæ tribui non poteſt: æternitas enim ſimpliciter ſoli Deo competit, ęternitate autem temporis, ſi quiſpiam materiam Deo coęternam dixerit, ſequetur aliquod ęternum tempore menſurari, atq. Deo eternitatem temporis competere, quod quidem falſum eſt, relinquitur ergo fieri nullo modo poſſe, vt materia ab æterno ſit a Deo producta, ſiquidem omne factum preſupponat ipſum fieri, repugnat enim dicere, aliquid productum eſſe, ab æternoq. eſſe, cum omne quod producitur, tranſeat a, non eſſe ad eſſe. Mirum preterea eſt, quomodo in generatione Mundi, dixerit Plato, totum & partes ſimul generari, cum partes natura & tempore totum etiam antecedere videamus in his, quæ ab aliquo agente efficiuntur, quod etiam de anima humana protulit, nullo modo defendi poteſt, cum anima habeat reſpectum ad corpus ita vt anima Platonis corpus illius ſolum informare valeat.

AVICENNAE opinionem varijs in locis Auerroys falſam eſſe demonſtrauit, Non eſſe opus in generatione rerum datore formarum, quoniam formæ omnes naturales generabiles & corruptibiles, eſſe in materia cum habeant, ab

agente solum a potestate ad actum deducuntur, quoniam generatio naturalis mutatio cũ sit, a principio extrinseco fieri non potest, nisi adsit, principium intrinsecum, agens enim non facit formam per suam similitudinem, sed formam hominis, quæ est in semine educit, quæ quidem formæ generantis similis existit, veluti calidum in corpus agens, quod caliditatem extrinsecam minime inducit, sed intrinsecam solum auget. Preterea non potest formæ generatio esse, quoniam daretur processus in infinitum in formis, quemadmodum lib. 7. Metaphy. docuit Arist. forme generationem non esse, quia illa potius congenerari dicatur. quod si aliquis dixerit, hæc de generatione veritatem habere, non autem de creatione in qua Dator formarum requiritur, dicimus in nullo genere formarum vt esse habeant, per aliquam speciem productionis, datorem formarum requiri, forme enim separatæ entia necessaria cum sint, a seipsis esse habent, nec causam efficientem postulant, formæ autem mortales, cum entia contingentia sint, quæ non nisi generatione producuntur, ab agente particulari & simili in specie, aut in genere producuntur, quare propter creationem aut generationem Dator formarum non est necessarius, quemadmodum Auicennas existimauit, cuius sententię confutationem libro Metaphy. 7. Auer. copiose satis est prosequutus.

SARACENORVM opinio falso nititur fundamento, quandoquidem Deus & si id non efficiat, nihilominus tamen in eo imperfectionem, non arguit actu enim cũ sit entia omnia, nulla in eo imperfectio cadere potest, quare Deum esse perfectum non procedit ab eo, quòd omnia aut aliqua producat, sed tantum quòd Deus dicatur bonus esse, quemadmodum Plato affirmauit, est enim Deus ens nobilissimum, cum sit primum ens, perfectissimum autem, quoniam in eo entia omnia actu sunt, quem admodum in materia prima potestate.

NVLLA igitur opinio apud philosophos, qui rationibus vtuntur, peripatetica verior esse videtur, quę creationem omnem tum eternam, tum nouam, non esse profitetur, ita vt ex nihilo nihil a Deo producatur, in quo nullus potentiæ modus reperitur: Nec vrgent fundamẽta, quibus aliqui contendunt, cum Arist. creationem introducere, quorum primum desumptum est ab his, quę lib. 12. Metaphy. habentur, Deum esse primam causam rerum omnium effectricem, necnon cœlum & naturam ab eo dependere, alterum autem acceptum est ab his, quæ libro 2. de ortu & interitu habentur, Deum compleuisse totum, faciendo continuam generationem, tertium verò in lib. de cœlo & alibi habetur, vbi scribitur Deum nihil frustra molitum fuisse, cum ergo Deus sit causa agens, potest saluari in fundamentis Arist. ipsa creatio, quod etiam ea ratio ostẽdit, quoniam in Deo finis & efficiens coincidant, cum ergo omnia a Deo dependeant, tamquam a fine, necessarium est, vt ab illo sint producta; cum autem sit virtutis infinite, atq. omnipotens, ex nihilo potuit cuncta producere, Nam ex Arist. placitis, non solum impossibile est, vt quippiam ex nihilo generetur, sed etiam vt ipse Mundus sit aliquo modo productus, quandoquidem nihil fieri posse, atq. aliquid vt fiat,

esse

esse possibile, sint omnino diuersa atq. opposita: Nec verum est, nihil ex nihilo fieri, intelligi de productione rerum per motum, quæ materiam requirit, non autem de simplici emanatione rerum, quæ nihil ex parte materiæ presupponit, quoniam hoc dependentiam potius, quam productionem aliquã denotat, quæcunq. enim producuntur, vt fiant est possibile, quòd verò possibile est fieri, hoc a materia habet, quæ potentiam habet ad formas, quemadmodum scribit Arist. lib. 5. Metaphy. quæcunq. igitur fiunt & generantur, vt per motum fiant atq. generentur, necessarium existit, nec alius modus, quo res producantur, quæ sint possibiles fieri, reperitur. Creatio enim si daretur, definitio potentiæ allata non esset prime potentie, in genere potentiarum, quoniam potentia creandi sine motu necessario potentiam creandi per motum antecederet: Nec valet si adhuc aliquis cum Auicenna obijciat, intelligentias sese consequi, vt causa causatum consequitur, sunt enim alie alijs priores, atq. omnium vna prior & summa existit, quæ quidem Deus est, prima rerum omnium causa. quoniam in intelligentijs causa & causatum alio modo se habeant, quàm in his in quibus esse effectus suam causam sequitur, in intelligentijs enim se habent, veluti intellectus atq. intellectum, quæ eadem sunt omnino, non autem diuersa. eadem enim est essentia in mentibus intellectus, & eius quod intelligitur, quemadmodum libro 3. de anima Metaphy. 12. tradidit Arist. quare intelligentiæ secundæ etiam si a, prima dependeant, nihilominus tamen entia sunt necessaria, quæ a se ipsis esse habent, non autem ab aliquo agente, cum a Deo solum dependeant in genere causæ finalis, ita vt Deus primum rerum omnium appetibile atq. intelligibile esse dicatur: Ad rationes igitur propositas. facillimum est occurrere, cum enim scribitur Deum hoc facere non dicit efficientiam, sed potius dependentiam arguit, quæ connexionem quandam rerum omnium cum Deo significat, quemadmodum Arist. libro 12. Metaphy. docet, Cœlum & naturam ex principio quod Deus est, depẽdere, non igitur Deum aliquid generare aut creare putandum est. Nec preterea valet, si quis dicat, Deum rerum omnium causam essendi esse, iccirco illum causam productiuam fore, quoniam anima est quidem causa essendi hominis, illum tamen minime producit: duplex enim effictricis causæ ratio est, quia altera simpliciter vnde motus principium dicitur, altera verò non simpliciter, sed forma eius quod simpliciter moueat et efficiat, Deus autem non est ita efficiens, vt quod simpliciter moueat, sed sicut id, quo actu aliquid iam existens moueat atq. efficiat, quo quidem modo animæ causam efficientẽ tribuimus, quam tamen intelligere non dicimus, ita vt Deum etiam aliquid efficere dicẽdum non sit. Ea Preterea quæ ab Arist. libro secundo de ortu & interitu desumpta fuerunt, de Deo nullam veritatem habent, sed de cœlo, quod a Deo continuo mouetur: cœlum igitur & natura causæ sunt, quæ agere & facere dicuntur, in quibus vis diuina apparet: Nec naturam instrumẽtalem causam dicere possumus, quoniam instrumentum rebus non insit, veluti natura ipsa. Nec preterea con-

cludit id, quod ex Arist. sententia proposuimus, formam finem & efficiens in Deo coincidere, quoniam Deus non est per se efficiens, sed per aliud, quod enim a, materia separatum est, materiam immutare non potest, sed mediante corpore cœlesti, quemadmodum 7. Metaphy. scribitur. Quod autem postremo loco allatum est, Deum omnipotentem esse, virtutemq. infinitam habere, nullum momentum habet, cum nullam in Deo potentiam esse, ostensum iam sit, principium enim quod necessarium est, omninoq. perfectum, ad nihil immediate contingenter se habet, ita enim fit, vt Deus omne possibile causare nequeat, cum hæc nouitatis ratio assignari non valeat, neq. ex parte principij, quod necessarium est, neq. ex parte alicuius impedimenti, quando principium est perfectissimum, Nam Deus si absq. causa secũda omnem effectum faceret, propriã essentiam operationemq. haberet, quod absurdum est, quoniam preter primam causam alie etiam necessarie sint. Preterea sequeretur, quòd ordo in causis simpliciter necessarius non esset, quod tamen negat Arist. lib. Metaphy. 2. quare in Deo aut nulla est potentia, aut ea solum, quæ in dependentia Mundi aut conseruatione rerum apparet. Nec vrgebit, si quispiam iterum obijciat, Deum actum purum esse, atq. potentiam infinitam habere, quoniam Deus intensiue non dicitur virtutis infinite esse, ex Arist. sententia.

VERA igitur & firma adhuc manet opinio peripatetica, nihil quod a, non esse transit ad esse, creatione produci, sed generatione, quæ non nisi in tempore fieri potest, quæ verò generantur, a, non esse mutari ad esse, scriptum reliquit Arist. libro 4. phy. partic. 24. quoniam omne quod mouetur, necessarium sit actu esse, non autem id omne quod generatur, generatio enim aliquo modo motus dici potest, quoniam sit inter duos terminos, veluti alie motus species, quo quidem modo generatio nihil aliud esse dicitur, quàm motus generabilis in quantum generabile, & hoc modo fit in tempore, subiectumq. requirit, quod actionẽ passionemq. contrariorum sustineat, in instanti verò fit, quatenus introductio formæ in materia esse fertur, quod quidem mutatio potius est, quàm motus. In hoc ergo distinguitur generatio a, creatione, quòd creatio subiectum minime requirat, cum in instanti producat, generatio autem cum absq. alteratione fieri nequeat, subiectum requirit, atq. non nisi in tempore fieri potest, quod si prout mutatio dicitur in instanti contingat, in instanti temporis, non autem naturę fieri solet, quatenus mutatio est nõ autem motus. Creatio autem cum a Deo procedat, in quo actio eadem est cum illius essentia, fit in instanti, nec aliam causam in sui actione requirit, veluti intellectus cum factus est mens, qui phãtasmate nequaquam indiget, ad intelligendum, quoniam per essentiam intelligat. illaq. motus non est, nec aliquam in Deo mutationem efficit, cum rerum diuersitas & multitudo a Deo minime proueniat, cum omnia ex parte Dei vnum sint, sed a causis secundis, quæ ad rerum generationem concurrunt.

AT cum Theologi nouam eternamq. creationem concedant, vt quid nam

utra-

utraq. sit, intelligamus, tria explicanda sunt, quid æuum, quid sæculum, quid tempus. Sæculum autem apud Platonem, nihil aliud est, quàm esse terminans omnia entia, quæ fuerunt ante tempus, auctore Auerroe primo cœli, com. 100. Aeuum secundũ Theologos nihil aliud est, quàm tempus æternorum. tempus autem est mensura motus, omniumq. generabilium & corruptibilium, in quo datur preteritum, presens, & futurum, in æuo datur solum presens, in sæculo nullum eorum reperitur, cum nihil aliud sit, quàm vita æterna & perpetua, vnde Deus viuens est sempiternum, atq. optimum. apud peripateticos, nulla de seculo mentio habetur, et si Auerrois de eo loquatur. De Aeuo autem mẽtionem habent, quod est vita omnium æuiternorum, ita vt vnusquisq. Angelus proprium æuiternum habeat, secundum Theologos, secundum Peripateticos autem omnium intelligentiarum vnum & idem sit æuiternum, Sæculum igitur cum Platone illud est, quod fuit ante tempus, quod quidem cum Mundo genitum fuit, vnde partes Mundi seculum tẽpore non præceßerunt, sed ante tempus fuerunt, quare Mundus in tempore genitus non fuit, secundum Peripateticos, qui æuum & tempus concedunt, genitus non est in aliquo tempore, nec etiam ex nihilo creatus, sed æternus, qui quidem a Deo cum ceteris entibus dependet.

OPINIONIBVS in hac disputatione expensis, reliquum est, vt eas rationes diluamus, quæ Peripateticam sententiam euertere videbantur, quas initio totius disputationis proposuimus.

AD primam autem peripatetici dicunt, minime vrgere, quoniam Deus & si sit virtutis infinite, non tamen intensiue, hanc virtutem habet, sed extensiue.

AD secundam dicunt, paralogisimum committi, quoniam omne quod fit, ex eo quod partim est ens, partim vero non ens, fit, non autem ex eo, quod omnino sit non ens, & idem cum ipso nihil.

AD tertiam dicunt, formas separatas cum a, se ipsis esse habeant, sintq. immunes ab omni materia, iccirco immortales permanere, atq. hoc ab agente causa minime obtinuisse, cum a Deo solum in genere cauſę finalis dependeant, non autem in genere causæ efficientis.

AD quartam dicunt, semen cum sit potentia animatum, spiritusq. in eo contentus cum rationem artificis habeat, in formatione animalis animam illi comunicare, ita vt corpus organicum perficiat, quare anima ex semine educitur a calore vteri, & stellarum, quemadmodum ab agentibus proprijs alie formę naturales a, materia educuntur, quod quidem de vegetatiua sensitiuaq. animę facultate verum est, quæ potentia sunt in semine, de mente autem non, quæ extrinsecus accedit, quam tamen in via peripatetica creari, dicendum non est, sed a se ipsa esse habere, quemadmodum cetera entia necessaria, cum sit immortalis.

AD quintam dicunt, minime verum esse, quòd ad nihilum omnia redigãtur Dei voluntate, quoniam ad primam materiam rerum omnium resolutio, quæ & si videatur aliquo modo non ens, non est tamen nõ ens simpliciter, quod idem

sit quod

sit quod nihil, quare ex materia prima voluntate diuina, omnia mediate producuntur, & in corruptione ad illam rediguntur.

AD sextam dicant, cum Mundus sit æternus, nec dari primum effectum, nec vltimum, atq. ob id minime tolli primum principium, quia in causis ordinem & statum dari oporteat, ne in infinitum processus in illis contingat.

AD septimam dicunt, nullam esse illius consequentiam, quia effectus coeternus non est productus, sed tantum dependens, veluti intelligibile ab intellectu, non autem vt causatum a sua causa, ab agente itaq. eterno cum nullus effectus immediate particularis producatur, iccirco nullo modo datur creatio, in via peripatetica, quæ aut noua aut eterna sit, sed solum dependentia entium omnium necessariorum & contingentium a Deo.

DISPVTATIO SECVNDA DE INCREmento, quæ nam verè sint partes formales, secundum quas in viuentibus incrementum fieri dicitur.

DVBITATIO est apud Peripateticos Medicos &, quod nam formæ genus sit, secundum quod incrementum in viuentibus fieri Arist. docuit: multa enim in animalium corporibus habentur, quæ formæ rationem habent, in primis enim partes dissimilares similaribus si conferantur, formam referunt, nec non totum ipsum suis partibus si cõparetur, deinde verò anima, quæ in viuentibus corporis enthelechia est: Aliqui igitur existimarunt, incrementum secundum dissimilares partes contingere in viuentibus, non autem secundum similares, quæ opinio Arist. placita euertit, qui iccirco dissimilares augeri voluit, quoniam similares accrescant, corporis enim extrinsecus accedentis appositio cum partibus fiat, quæ materiæ vim habent, toti autem corpori si conferantur similares cum dissimilaribus, elementi rationem similiter habeant, negandum non est, secundum similares partes incrementum contingere. Preterea dissimilares cum nihil aliud sint, quàm magnitudo, numerus figura, & situs similarium, nullo modo dissimilaribus incrementũ tribui poterit, absq. similarium acretione. Præterea similares partes animate cum sint, necessarium erit vt secũdum illas etiam incrementum concedamus, si secundum dissimilares fuerit. nutrimentum enim appositum a, calore partium assimilatur, atq. in naturam similarium transit, ex quibus dissimilares constitute sunt, sanguis enim appositus in carnem mutatur, aut in os, quare nullam veritatem hæc opinio habet.

ALII autem dixerunt cum viuentia omnia corpore animaq. constent, corpus verò materia sit, anima ipsius corporis forma, incrementum secundum animam fieri, aut secundum eas anime partes, quæ a materia et corpore dependent: nisi anima vegetatiua corporibus inesset, nullo pacto incremẽtum contingeret, quæ opinio Arist. dicta penitus euertit, qui virtutis quæ incrementi causa est,

acretione

acretionem fore negauit, quoniam illud incommodum sequeretur, eandem virtutem cum agit, actiuam passiuamq. esse, cum ergo in acretione quemadmodum in alteratione, id quo res alteratur, minime patiatur, virtus quæ acretionem efficit, incrementum minime admittere poterit, quod verum si fuerit, non erit secundum animam incrementum, quæ formam potius de predicamento substantiæ denotat, quàm quantitatem, ad quam incrementum tendere cum Arist. determinauimus, vt a, nutritione distingueretur.

ALII imaginati sunt duo genera partium, alterum sensibilium, alterum verò non sensibilium, atq. incrementum esse secundum partes sensibiles perseq. existentes, cuius generis partes sunt formales, non autem materiales, hæc opinio omnium est ineptissima, cum in animantibus nullum genus partium habeatur, quod non sit sensibile, cum omnes materiam contineant, ob quam corpora omnia sensibilia dicuntur. Preterea incommodum quoddam sequeretur, non secundum quamlibet corporis quod augetur particulam, incremẽtum fieri, quemadmodum Arist. determinauit, cum incrementi proprietates assignaret.

ALII cum viderent huius tractationis difficultatem, dixerũt due cum sint partium differentie in corporibus animalium, porrose scilicet & non porose, earum quæ porrose sunt, cum incrementum sit, secundum illas tantum fieri, quæ enim meatibus carent, materiam incrementi, quæ extrinsecus accedit, minime admittunt, hæc opinio nihil aliud adfert, nisi quod sine porris incrementum fieri nequeat, alia igitur cum requirantur preter accessum materię in incremento, nutrimenti appositio atq. assimilatio, iccirco contingit, omnes corporis partes augeri, nulla enim est quamuis solidissima, quæ porros non habeat, quod ossa indicant, per quæ sanguis qui in medulam mutatur penetrat, in concauitatibusq. recipitur. quare propter incrementum hoc partium discrimen minime considerandum venit. Præterea incommodum aduersus priorem sententiam allatum ad hanc consequitur, quoniam non secundum quamlibet corporis particulam incrementum fieret. nullo igitur modo meatibus incrementum tribui debet.

ALII autem dixerunt partes formales eas esse, quæ totius rationem habẽt, has enim Arist. in Metaphy. partes speciei nuncupare solet, ita vt totum sit illud secundum quod incrementum fieri dicitur, quæ opinio Arist. repugnat, qui distinxit id quod augetur ab eo, secundum quod incrementum fieri dicitur, quare secundum totum, quod materiam includit, quæ est in continuo fluxu, minime fit incrementum, sed secundum id, quod idem numero manet, totum enim id est, quod augeri dicimus, non autem id secũdum quod acretionem fieri statuit Arist. quod formam quantam nuncupauit, quam Arist. interpretes minime attingere visi fuerunt.

CVM ergo aliorum sententiæ tot ferant incommoda, opere pretium est, vt sententiam in paraphrasi a nobis excogitatam sequamur: etenim et si multa sint in corporibus animalium, quæ rationem formæ habeant, omnia tamen in incremento

mento non sunt considerandа, sed ea tantum, quibus incrementum tribui potest, cum ergo totum corpus illud sit, quod augeri dicitur, forma quæ in incremento seruatur, spectari tantum debet, quam priores somniarunt cum formam quantam nuncuparint, quoniã accretio motus sit ad quantitatem, in toto autem corpore duo spectantur, partes tum similares tum dissimilares, atq. totius corporis conformatio & structura, itaq. partes similares & dissimilares materiam retulerunt, conformatio verò & structura formam, quæ quanta dicitur, quoniam corporis molem sequatur, secundum igitur structuram aut conformationem totius quod augetur, incrementum fieri dicitur, hæc enim manet eadem numero, in vtroq. termino acretionis, quemadmodum antea docuimus, figura enim seu conformatio in puero & iuuene non mutatur, & si incrementum semper fiat, solum enim maiori facto corpore coextẽditur, quemadmodum figura vesice cum atollitur: ex his igitur satis patere arbitror, incrementum fieri secundum eam formam, quæ in quantitate corporis posita est, atq. formæ incrementũ non esse, sed totius, quoniam dissimilaria minime accrescant, nisi similaria incrementum suscipiant, quo autem incrementum efficitur, est ipsum nutrimentum, quod primum apponitur, deinde verò assimilatur, a calore partium, quæ primo nutriuntur, deinde verò augentur. nisi nutrimentum apponeretur, fieri non posset mistio minimorum illius cum minimis partium, quę ex eo tum nutriri, tum verò augeri debent, hæc itaq. omnia ad accretionem cõcurrunt, appositio alimenti, et assimilatio, minimorumq. mistio, quæ vbi adsunt, calor validus partes ad omnem dimensionem extendit, nec pulsu in animatis incrementum fit, quemadmodum Ioannes Grammaticus existimauit, quoniam si pulsu verum incrementum fieret, inanimatorum verum incrementum esset, cuius generis sunt metalla & pili in animalibus, & vngues, quæ tamen cum minime nutriantur, ostendimus, veram acretionem nullo pacto admittere: videtur autem incrementum propulsioni quodammodo simile, quoniam propulsione partes terrę attollantur, maioremq. molem acquirant, et tubera terræ, veri tamen incrementi causa non est, nisi in inanimatis eius acretionis, quam illa habent, cum enim atractrice facultate destituta sint, pulsu indigẽt, vt partibus externis noua fiat materiæ similis additio, si enim pulsu fieret incrementum, mirum est, quomodonam toto vite tempore non accrescant viuentia, cum ex continua nutritione semper fiat appositio & assimilatio noue materiæ, vt restituatur ea quæ continuo dissipatur. Nullam igitur esse Ioannis Grammatici opinionem satis constat, atq. in inanimatis tantum locum habere, quoniam illis cum auctrix facultas nulla sit, nec atractrix, pulsu indigebãt vt maiorem molem acquirerent.

DVBITATIONES quędam dissoluende succedunt, vt veritas proposita firma maneat, cuius Arist. occasionem dedit. Nam cum de incrementi proprietatibus ageret, id quod augetur, secundum quamlibet eius partem augeri voluit, non autem secundum aliquas accrescere, secundum aliquas autem minime, quod

me, quod si verum sit, iam non erit existimandum, secundum formam solum incrementum fieri, non autem secundum materiam, quia secundum quamcunq. partem incrementum factum non esset. Præterea cum forma, quæ materiæ est coextensa, ab illa nequaquam seiungatur, mirum videtur, quomodo nam secundum formam incrementum fieri dicatur, nulla secundum materiam accretione facta. Præterea cum sit constitutum, dissimilarium incrementum non esse, nisi similares partes primum incrementum suscipiant, quæ rationem formæ habent, si dissimilaribus comparentur, mirum est, quomodonam secundum formam, non autem secundum materiam, incrementum fieri dicatur. Præterea cum non absq. mistione minimi vniuscuiusq. nutrimenti cum vnoquoq. minimo particulæ, incrementum fieri valeat, videbitur necessarium esse, vt secundum materiam, cui fit additio, incrementum contingat. Non obstant huiusmodi rationes, quandoquidem vt omnes incrementi proprietates seruentur, impossibile sit, secundum materiam incrementum contingere, etiamsi necessarium sit, corpus quod accrescit, secundum quamcunq. illius particulam accrescere. Nam in viuentium corporibus, duo cum sint partium genera, necessarium est, vtrumq. secundum quamlibet particulam illius augeri, nec non totum corpus secundum partes cum similares, tum dissimilares, quandoquidem omnes nutriantur, eademq. ratione in toto & partibus incrementum accidit, cum enim totum ipsum illud sit, quod verè augetur, & si secundum quamcunq. particulam accrescat, dicitur tamen secundum formam, non autem secundum materiam incrementum fieri, quia toti fiat, cuius humidum continuo dissipatur, quod nutritione resarcitur, nouiq. humidi appositione incrementi causa esse videtur: cum ergo totum illud sit, quod accrescit, siue dixerimus totum ipsum, siue partes similares, aut dissimilares accrescere, iccirco secundum formam incrementum erit, etiam si secundum quamcunq. partem augeri debeat, quoniam in toto corpore conformatio & structura appareat, atq. eadem vita durante seruetur, secundum quam incrementum fieri determinauimus: cum ergo totius natura, in qua forma quanta spectatur, minime mutetur, iccirco id quod accrescit, idem numero manere dicitur, sub vtroq. termino mutationis, atq secundum id incrementum esse, quod minime mutatur, materia ergo cum sit in continuo fluxu, vt humidi radicalis quod secundū suas partes continuo dissipatur, iccirco secundum illud incrementum nequaquam erit.

DISPVTATIO TERTIA DE NVTRITIONE an simplici elemento aliquod viuens nutriri valeat.

CVM de nutritione ageremus, determinauimus, ipsum nutrimentum corpus mistum esse, quod potentia propinqua simile est corpori, quod ex eo nutriri debet, non autem potentia remota, siquidem omnia viuentia ex his nutriri debeant, ex quibus sunt constituta, cum autem omnia ex quatuor elementis con-

stent, vno elemento simpliciq. corpore nutriri minime possint, quemadmodum etiam experimentum docet, aquam simplicem & puram, quæ sapore odoreq. caret, minime nutrire: Etenim insurgunt in primis ex Medicorum familia nonnulli, qui ex aere igne & odoribus animalia quædam nutriri demonstrare contendunt, nec non spiritus animalium, qui aeris naturam referunt, si solidis partibus & humoribus conferantur. Aere autem odoribusq. viuentia nutriri experimentum docet, puella enim quædam germanica biennio absq. cibo & potu vixit, igitur aere necessarium fuit aut odoribus illam nutritam fuisse, a, quibus spiritus & calor natiuus refrigerari seruariq. potuit. Præterea cum hæc excrementa non excerneret, non potuit alijs nutriri quam aere, aut odore, quod etiam de Camelęonta ferunt, quod nullo cibo & potu vtitur, Igne autem aliquod animal nutriri papiliones, qui in fornacibus ærarijs degunt, ostendunt, in igne enim semper versantur, atq. illo nutriri videntur. Preterea cum terra plena sit terrestribus, aqua æqueis, existimandum etiam est, aerem aereis, ignem verò igneis plenum esse, atq. ignea igne nutriri, aerea aere, quēadmodum terrena terra, aquea aqua nutriri patet. Hęc enim nullam vim habent, quandoquidem ob duas potissimum causas, nutrimentum viuentibus natura concesserit, altera vt calor natiuus refrigeraretur, altera verò vt loco eius, quod perpetuò fluit & dissipatur, aliquid restitueretur, simplicia autem corpora eaq. pura hæc duo prestare non possunt, omnia enim frigiditatem nequaquam habent, eorum verò quæ frigiditate participant, cum illam in summo habeant, potius calorem natiuum viuentium extinguerent, ita vt primum vsum & commodum elementa pura & simplicia prestare nequeant, alterum etiam minime suppeditabunt, cum viuentia vno elemento nequaquam constare, primum docuerit Hippocrates, quare id quod mistum ex illis est, tantum substantiam reparare, quæ efluxit in viuentibus potest, eorumq. esse seruare, cuius gratia nutritio viuentibus data esse videtur, elementa impura etiam nutrire non possunt, quoniam hieme in quo aer crassior est, minori cibi copia animalia indigerent, maiori estate, cuius contrarium in nobis experimur, si autem aer, qui calidus & humidus est, nutrire non potest, multo minus terra & aqua nutrient, quæ principijs naturæ viuentium seu vitę aduersantur, ignem autem ineptissimum esse ad nutritionem, satis est conspicuum, cum omnia potius corrumpat, quàm eorum esse conseruet, quod ea, quæ nutriunt prestare oportet: odores autem nullo pacto nutrire, Aristot. aduersus Pytagoreos ostendit in lib. de sensu & sensibilibus, & si misti magis sint aere, cum vaporis naturam referant, quem Arist. aquæ halitum in opere meteorologico esse docuit, minimeq. nutrire, cum exhalatione, quæ terrenam naturam refert. Nec obstant quæ ex Hipp. & Galeni sententia Medici proponunt, inspirationem aeris duo prestare, caloris refrigerationem & spiritus vitalis nutritionem; etenim refrigerationem caloris prestare concedimus, nutritionem verò minime, sed potius nouam spirituum generationem, quæ a nutritione plurimum discrepat, calor enim

lor enim corporis siue cordis aerem inspiratum in spiritus mutat, & vaporem, qui spiritus naturam habet, aer verò inspiratus cum calorem refrigeret, impedit ne suffocetur, quod de odoribus etiam existimandum est, cum enim vaporis naturam referant, spiritus ex illis generantur, ita vt ex inspiratione aeris & odoris, dicantur quodammodo spiritus nutriri, & recreari: Etenim cum animalium corpora vno elemento nequaquam constare, ratio sensusq. indicarint, fieri non potest, vt aere aut odore aliquod viuens nutriatur. Nec aliquam dubitationem adhuc faciunt ea animalia, quæ hiberno tempore latent, nulloq. cibo vtuntur, quoniam hæc multis cruditatibus cum abundent, & sanguine pituitoso, aut debili calore prædita sint, possunt nutriri, etiam si cibum externum non assumant, quoniam interno vtantur alimento, quod vlteriorem coctionem admittit, atq. perfectiorem ex somno diuturno in quo calor validior redditur, ita vt mirum non sit si pinguiora euadant, pinguedo enim bonæ coctionis est signum, similiter quod de puella germanica attulimus, illam pituitoso humore, quo abundabat eo tempore nutritam fuisse constat, nec externo alimento illi opus fuisse, cum modi co calore abundaret, quod in senibus experimur, qui ob vtramq. causam, facillime mediam ferunt, vt scribit Hipp. prima Aphorismorum part. quod de serpentibus quæ hieme latent & Mure montano etiam veritatem habet, quę tum ob causas iam dictas, tum ob cutis constipationem, quæ dissolutionem impedit, quatuor mensium spatio cibo potuq. minime indigent. Nec vrgebit, si quispiam dixerit, aere et odoribus puellam nutritam esse, cum nulla egereret excreme nta, quoniam excrementa secundę coctionis in vesica fellis liene et cauitatibus corporis recipiantur, non autem excernantur, quemadmodum primæ coctionis excrementa, quæ in intestinis continentur. Quòd preterea de cameleonte attulimus, veritatem nullam habet, cum rore in scopulis nutriatur, si autem illud contingat ad nos allatum diu absq. cibo viuere, hoc fit, quoniam animal frigidissimum sit, Papiliones autem in grarijs fornacibus eo vapore nutriri dicuntur, non autem igne, quod in fornacibus reperitur, pisces in aquis aqua pura minime vescuntur, sed alga, limo, & animalibus, quæ in mari reperiuntur, quare satis patere arbitror, nullum animal simplici aliquo elemento nutriri, sed omnia mistis nutriri corporibus, quemadmodum antea docuimus. An animalia in aere & igne sint, quæ illis nutriantur, mox disputabimus, ne recentiorum quorundam somnia locum aliquem habeant.

DISPVTATIO QVARTA, AN CORPVS omne quod nutritur mistum sit atq. animatum, an vero inanimatum simplexq. aliquod corpus etiam nutriatur.

INSVRGIT disputatio tractanda, propter ea, quæ in cap. de nutritione docuimus, an fieri possit, vt simplex aliquod corpus, aut mistum, quod inani-

matum sit, nutriri dicatur. In primis enim rationes habentur, nec non fundamenta ab Arist. desumpta, quæ ignem inter simolicia corpora nutriri ostendunt: Etenim Arist. in lib. de gen. animalium, de sensu & sensibilibus, de anima, de cœlo, igni nutritionem concedere videtur, his enim locis scribit, ignem duobus modis corrumpi, veluti calidum natiuum, quod nutritur, atq. causam incrementi nutritionisq. esse, cum inter elementa solus nutriri augeriq. videatur, nec non alijs elementis pro nutrimento vti excepta terra, quòd ita se habere, hæc potissimum ratio demonstrat, quoniam flammam oleo & sebo nutriri appareat, ad eorumq. consumptionem extingui, quemadmodum calor natiuus, qui absumptione humoris a se ipso naturaliter corrumpitur, qui quidem ignis interitus, cum interitu eorum, quæ vere nutriuntur comunicat, quare existimabit fortassis aliquis, ignem vere nutriri.

NEC desunt loca Arist. quæ ignem nullo modo nutriri ostendunt, in primis autem scribit lib. 2. de anima, Nullum corpus nutriri, nisi quod vitam habet, ignis autem cum non sit animatus, quia organis caret, iccirco illum minime nutriri putandum est. Præterea libro 2. operis Meteorologici aperte ignem nutriri negat, vbi eos reprehendit, qui Solem humore nutriri censebant; si enim ignis humore nutriretur, pluuie non fierent, quare ignis nouus humidi mutatione generatur, quemadmodum lignorum mutatione, quæ apponuntur nouus semper ignis generatur. Præterea 2. de gen. animal. cap. 3. scribit, Nullum animal ignẽ generare, & lib. 9. de hist. animalium, cap. 3. vbi scribit, fabulantur illi, qui vireonem auem igne procreari dixerunt, atq. certum esse nullum ex eo constare nec viuere, quod si nec constat nec viuit, impossibile etiam erit, quòd ex igne aliquod animal nutriatur.

IN hac disputatione duę sunt opiniones, quarum alteram Galenus & Cardanus celebris medicus sequuntur, alteram verò qui dogma peripateticum sectantur, Galenus enim visus est lib. primo de elementis, nutritionem igni tribuere. Cardanus autem non solum ignem nutriri putauit, sed etiam in igne ignea animalia viuere, quæ illo nutriantur, quæ tamen opinio ridicula est, signumq. magnè tanti hominis inconstantiæ, cum alibi ignem dari in suprema regione negavit. In primis enim igne impuro nullum animal nutriri in eoq. cõtineri cum omnia corrumpat, atq. nullo humore sit preditus. patet, quod si fuerit, nec puro id tribui poterit.

PRETEREA si in regione ignis aliquod animal viuit, aut erit passibile, aut impassibile, si fuerit passibile, cum maximus ignis minorem corrumpat, fieri non poterit, quin tale animal igneum a tota Sphera ignis nõ corrumpatur, quare aliquo tempore in eo viuere nequaquam poterit, si autem tale animal impassibile fuerit, nutritione non indigebit. Præterea mirum est, quomodonàm hęc animalia motu progressiuo in regione ignis moueantur, qui ex recto & circulari componitur, progressiuus enim motus fieri nequit, nisi super spatium in quo

firmetur

firmetur animal, secundum sinistrum pedem, motum autem secundum dextrum incipiat, cum ergo in igne quemadmodum in aere contingit, nulla soliditas insit, mirum est, quomodo in igne aliquod animal quiescere, moueriq. valeat. In aere preterea nullum animal esse, nec in eo viuere patet, quoniam si Dæmones esse concesserimus, nutritione non egent, cum sint immortales, nutritio enim non solum data est animalibus ad individui conseruationem, sed vt animalia semen generent, quod est generationis materia, cum ergo hæc generationem nullam habeant, ad quid nutriuntur, Destituta preterea cum sint organis, quæ vno tãtum elemento eoq. simplici cõstant, quomodo nam poterit nutritio illis tribui. verior ergo ea est opinio, quæ igni veram nutritionem minime tribuit, quemadmodum Galenum sentire existimo, aut si ignem nutriri voluerit, per ignem calidum innatum intellexisse, quod verè in animalium corporibus nutritur: Etenim illum vere nequaquam nutriri, ex professo docuit Arist. locis a, nobis antea allatis, ita vt omnia in contrarium adducta tantum concludant videri ignis nutritionem aliquam esse, quæ quidem vera nutritio non est. Nullum autem animal in igne & aere viuere, aperte libro 4. operis meteorologici tradidit, solumq. in terra & aqua animalia reperiri, in illisq. viuere, cum omnia ex terra & aqua maxime constent, humore enim aqueo, sicco terreo terminato nutriuntur, quod in terra & aqua reperitur, quod si aues aerem petant, in eoq. muscis nutriantur, non est tamen putandũ, aerem sedem illorum esse, eoq. aliquod volatile nutriri. Constitutum ergo sit, nullum simplex corpus nutriri, nec etiam nutrire, quemadmodum antea docuimus, cum de nutritione ageremus.

DE metallis seu fossilibus, aliqui dubitarunt, an nutriantur, nec videntur ratione carere, qui metalla nutriri pronuntiarunt: in primis secundum omnem dimensionem incrementum suscipiunt in fodinis, quemadmodum plantę, quæ vere nutriuntur, deinde in omnibus cum plantis similitudinem habent, interq coralus hoc cum plantis comune habet, ita vt planta quodammodo videatur, habent preterea partes distinctas vt venas a, solidioribus, & meatus, quos natura illis ob nutritionem tribuit, ea autem nutriri docet magnes lapis, qui ferrum pro sui nutritione attrahit, ita vt semper cum ferro reperiatur, Demum autem cum metallorũ plurima vi attractrice predita sint, quæ anime vegetatiuæ actio quedam est, non erit dubitandum, posse nutriri metalla, & alia corpora, preter plantas & animalia: Ego existimo metalla ceteraq. corpora, quæ in plantarum genere minime continentur, nullo modo nutriri, in primis coralus in genere plantarum continetur, & margarita, quare mirũ non est, si hæc non solum nutriantur, sed etiam nutriãt, Cleopatra enim vnionem aceto acerrimo dissoluit, eamq. absorpsit vt Marcum Antonium in cœna superaret.

NEC metalla nutriri putandum est, quoniam trina dimensionem habeant definitam, quoniam hoc corporis naturã sequitur, cœlum enim quod corpus est, longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet. Similiter & cetera inanimata,

mæta, quæ in genere mistorum perfectorum connumerantur. Preterea cum aliquo modo accrescant, appositione noui humoris concocti in visceribus terræ, & congelati, mirum non est, si incrementum aliquod admittant, quod tamen eiusdem rationis non est cum incremento, quod in viuentibus fit, in quo singulis partibus additio fit, non autem illis solum, quæ in superficie apparent. Quod dubitationem facit, est magnes lapis qui attrahit ferrum, quem tamen attrahere similitudine substantię dicimus, non autem facultate aliqua vegetatricis animæ, ita vt metalla & si augeri videantur, atq. magnes lapis attrahere ferrum, & succinum festucas, ob id tamen non est putandum, illa nutriri, cum alia facultate quàm animę hæc efficiant.

DISPVTATIO QVINTA, AN AGENS naturale quod realiter agit, per contactum in passum semper agat.

CVM agens a, mouente cum Arist. discrepare docuerimus, quoniam verum agens agendo tangat, iccirco disputatio proponitur, an verum sit, quòd omne agens naturale in passum non sine contactu agat: In quibusdam enim corporibus naturalibus ea per cõtactum nequaquam agere patet, quod in cœlestibus primum ostẽditur, quæ cum valde a, nobis remota sint, nihilominus tamen absq. contactu lumine et motu alterare videntur, cum eorum extrema simul nequaquàm sint cum extremis inferiorum corporum, terra enim veluti centrum a circumferentia a cœlo separatur, ita vt vtriusq. extrema simul esse nequeant, Præterea Sol aerem ambientem nostramq. regionem calefacit, cum tamen plures intercedant orbes cum igne, propter quæ corporũ quę agũt et patiuntur, extrema simul esse non possunt. Præterea in corporibus, quæ secundum qualitates agunt, idem contingere experimur, vt aquæ quæ pristinam recuperat frigiditatem nullo corpore intercedente, quod magnitudine ab ea separatum fore dicatur, quod etiam in his est conspicuum, quæ tota substantia, aut similitudine agere dicuntur, cuius generis sunt magnes lapis, & succinum, quorum alterum ferrum absq. contactu, alterum verò festucas ad se trahit, nec non Torpedo piscis, qui absq. contactu piscatoris manum stupidam reddit, in quorum genere Basiliscum aliqui connumerant, qui absq. contactu homines interimit, nec non mulier menstruata, quæ specula inficit, etiamsi a, speculo aliquo interuallo distet. Præterea si per contactum omnis actio fieret, necessarium esset, vt quodcumq. agens validius semper in passum propinquum quàm in remotum ageret, cuius tamen contrarium in aliquibus accidit, quoniam ignem aquam in lebete magis calefacere experiamur, quàm lebetis fundum, nec non tormenta bellica muros aliquo spatio distantes vallidius demolire, quàm eos qui maxime sunt propinqui, nec non Solem magis aerem inferiorem calefacere, quàm medium, in quo perpetua frigora & niues regnant.

Omne

OMNE autem agens naturale non sine contactu in passum agere, mouentia corporea in primis ostendunt, quę mouendo mouentur, nec non quæcunq. qualitatibus agunt, quæ in agendo aliquid etiam patiuntur, quemadmodum antea cum Arist. determinauimus.

IN hac disputatione varie Peripateticorum opiniones extiterunt. Aliqui enim putarunt, aliqua agentia reperiri, quæ absq. contactu in hæc inferiora agant, cum Deus & intelligentie absq. contactu in vniuersum agant, quæ opinio non est huic loco accomodata, cum de mouentibus seu agentibus naturalibus nobis differendum proposuerimus. quæ corporea sunt, non autem incorporea, quæ aliud actionis genus exercent.

AVERROES lib. 2. cœli, com. 42. varias sententias recenset, in primis autem tribuit Alexãdro, quòd putarit quoddam agens naturale reperiri, quod in passum absq. contactu agat, quoniam Sol aerem medium calefaciat absq. contactu, cum non sit in vno & eodem loco cum aere, ita vt vtriusq. extrema simul esse valeant, similiter Torpedo, quæ manum piscatoris stupefacit, & si eam non tangat Themistio preterea tribuit, quòd voluerit, Nullum agens naturale reperiri, siue mediate, siue immediate in passum aliquod agat, quod absq. contactu agat, quemadmodum colligitur ab Arist. lib. 7. phy. omne enim mouens, cum necessarium sit simul esse cum eo, quod mouetur, omne autem agens mouens sit, iccirco necessarium est, vt simul sit cum eo, in quod agere dicitur, si autem simul fuerit, non poterit absq. contactu actio aliqua ab eo prouenire, quod ita se habere, in motu locali maxime est conspicuum, quoniam si quispiam lapidem baculo mouere voluerit, opus est primum vt manu baculum moueat, atq. vt baculo lapidem tangat.

AVERROES opinionem Alexandri damnat, atq. in Themistij sentẽtiam descendit, quandoquidem omne agens naturale & corporeum necessarium sit per contactum agere in passum: etenim cum Arist. ait calorem a stellis atrito aere, generari, cœlumq. Mundum inferiorem calefacere, non est putandum, stellas perse hoc prestare, quoniam hoc pars orbis efficit, in quo est stella, si enim a, stella perse proueniret, necessarium esset, vt aerem tangeret, quod fieri nequit propter ignem medium: Etenim totum cœlum quod aggregatum quoddam est ex octo orbibus, toto animali simile existit, ita vt motus in cœlo diurnus, motum progressiuum animalis referat, alij vero motus, qui in toto cœlo apparent, motus particulares sunt, qui motus partiũ animalis referunt, vnaqueq. enim pars in animalium corporibus motum peculiarem cum actione habet. stelle igitur in cœlo nihil aliud sunt, quàm partes illius quædam, quæ proprios motus habent, alium enim motum Sol, alium Luna habet, ex quo fit a, cœlo & si diurno motu eoq. vno feratur, vt varie actiones contingant, cœlum igitur corpus est, quod calefacit hęc inferiora, mediante Sole, est enim Sol pars cœli densissima, orbisq. eius cum sit in medio cœli, velocissimo motu fertur, cum autem ad calorem duo

requi-

requirantur, quemadmodum tradidit Arist. lib. primo Meteo. densitas corporis & velocitas motus, iccirco Sol calefacit non perse, sed vt est pars vna cœli, quæ valde apta est ad caloris generationem: Etenim in circulo equinoctiali etsi magna stellarum copia adsit, illis tamen calorem non tribuimus, dicitur ergo cœlum egens esse, quod in hæc inferiora lumine motuq. agit, auxilio Solis, quemadmodum dicere solemus hominem ambulare, quia pedes habeat. Cum ergo totum cœlum id sit, quod agit, orbes medij non erunt impedimento Soli, quin calefaciat, in ignem enim cœlum totum primum agit, quem tangit, deinde verò in aerem, quemadmodum torpedo, quæ primum baculum alterat, deinde verò piscatoris manum, quod an cum Auerroy intelligendum sit, posterius determinabimus, cum in eo lapsus videatur, quòd baculum a torpedine alterari putarit.

IN hac difficillima materia, vt veram sententiam assequamur, quædam ab Arist. desumpta, supponere oportet, in primis autem duplex mouentium genus reperiri, alterum corporeum, alterum incorporeum, de incorporeis, cuius generis sunt mentes diuine, nulla hoc loco ratio habetur, quoniam agentia vere non sint, sed potius mouentia, de corporeo igitur operepretium est vt disseramus; Mouens itaq. corporeum, quod etiam agens est, cuiuscumq. generis fuerit, vt per contactum agat, necessarium extat, omnia tamen vno eodemq. modo nequaquam agunt, alia enim sunt, quæ secundum virtutem agunt, et hæc in materia cum his, in quæ agunt minime comunicant, ab eis quæ in agendo nequaquam repatiuntur, cuius generis est cœlum, si his inferioribus conferatur, alia verò sunt, quæ contrarijs qualitatibus in passum agunt, et hæc in materia cum illis conueniunt, atq. ab his, in quę agunt, agendo repatiuntur, in horum genere generabilia corruptibiliaq. corpora reponuntur. in vtroq. genere mouentium tactus reperitur, quemadmodum in tractatione de tactu docuimus, proprie tamen magis in secundo mouentium genere, tactum igitur cum omnia corporea mouentia admittant, necessarium est, vt per contactum agant, aut mediate, aut immediate, priore modo mouentia seu agentia, quæ secundum virtutem agunt, altero vero modo ea, quæ suis qualitatibus agere dicuntur. Quòd si in his quę suis qualitatibus agunt, videamus etiam contingere, vt mediate agant, quoniam aqua in lebete ab igne calefiat, & corpus nostrum ab igne, mediante aere, quem calefacit, similiter succinum in festucas, & magnes lapis in ferrum. dicimus in alteratione horum corporum, duo agẽtia concurrere, alterum remotum, alterum propinquum, atq. agens remotum, quod sua qualitate agit, mediate semper agere, non autem immediate, aer ergo ab igne calefactus, nos calefacit immediate, cum sit agens propinquum, ignis autem mediate. idem de torpedine dicendum est, de succino, & magnete, quæ eorum vim aeri comunicant, ita vt corpora remota alterare valeant, corpora igitur quæ verum tactum admittunt, cum eorum extrema simul esse possint, absq. contactu agere patiq. nequeunt, quæ autem tactum proprie dictum non habent, etiam si eorũ extrema simul non sint, agere possunt, quemadmodum

modum iam docuimus. Amplius quædam sunt corpora, quæ qualitates quasdam puriores, easq. spiritales obtinuerunt, quibus corpora etiam remota alterent, ita vt mirum esse non debeat, si agentia naturalia vno eodemq. modo non agant: idem quinetiam in sensibus experimur, quoniam tactus cum ceteris magis materialis sit, atq. terrænus, nihil absq. contactu tangibilium qualitatum sentit, quod visui minime accidit, & auditui, qui aeream naturam magis participant.

HIS autem hoc pacto constitutis, veritatem in hac disputatione assequi facillimum profectò erit, quandoquidem in quibuscunq. corporeis agẽtibus tactus reperitur, necessarium sit, nullã eorum actionem passionemq. absq. cõtactu fieri, siue hoc per medium fiat, siue absq. medio fieri contingat, In primis enim cœlum totum & si in loco nequaquam sit, illius tamen partes in loco esse dicuntur, cum a, primo orbe ceteri omnes contineantur, quare tactum illis ineſse, negandum non est, eo modo, quo in Paraphrasi tactum eorum esse docuimus. in quibus nulla cum cadat alteratio, iccirco Sole in nos agente, orbes suo orbe inferiores pati necessarium non est, sed tantum ignem, & aerem, quæ intercedunt. Torpedo autem cum manum piscatoris stupidam reddit, aerem medium alterat, & adeo refrigerat, vt per baculum delatus ad manum piscatoris, illam stupefaciat, Nec rete aut baculum alterat, quemadmodum Auerroy placuit, sed aerem, qui ad motum retis & baculi ad manum defertur. Basiliscus hominem interficit ob malos spiritus, quos illi in visione comunicat, quemadmodum mulieribus accidit, quæ pueros fascinant, & menstruatis, quæ specula inficiunt, ita vt iam satis patere existimem, actionem omnem agentium naturalium contactum postulare, præsertim in his, quæ in agendo etiam patiuntur, quemadmodum omnia sunt, quæ in materia comunicant. Quod si veritas hoc pacto se habeat, rationes in contrariũ allatas diluere quicunq. facile poterit, quandoquidem ea mediate in passum agant, quæ secundum virtutem, aut secundum substantiam, aut occultam qualitatem agunt cetera vero immediate, quæ agentia proxima sunt, non autem remota. Nec vrget id quod etiam attulimus, quod quedam in partem magis remotam, quam in propinquam agant, veluti in tormentis bellicis apparet, hoc enim contingit propter maiorem aeris, qui pellitur motum, aut aeris pulsi copiam, ita vt id per accidens contingere videatur, quemadmodum ex reflexione radiorum fit, vt regio nostra seu infima aeris magis a, Sole calefiat, quam media, aut suprema, in qua perpetua sunt frigora. Ad rationem de aqua allatam, dicimus contactum esse inter vapores calidos & aquæ particulas, quæ adinuicem agunt & patiuntur, ita vt absq. contactu aquæ, alteratio minime accidat. Præterea ab ambiensis frigore etiam refrigeratur.

VENETA VENEZIA

DISPVTATIO SEXTA, AN ACTIO in naturalibus corporibus ab eo, quod tum simile, tum dissimile est, solum proueniat.

CVM in tractatione de ipso facere deq. pati, determinauerit Arist. actionem in naturalibus corporibus fieri ab eo, quod partim est simile, partim verò dissimile, iccirco disputatio proponitur, an a, simili etiam prouenire valeat: Etenim non desunt rationes, quæ illam a simili etiam procedere ostendunt, quarum prima hæc est, cum enim animalium corpora calido, frigido, humido, siccoq. constent, ab illisq. mutentur atq. alterentur, a similibus actionem hanc fieri putandum erit. Præterea vnum idemq. corpus a, seipso alteratur, ita vt ab aliqua contrarietate alteratio illius procedere non videatur, vt quando aqua calefacta pristinam frigiditatem recuperat. Præterea si a dissimili actionem fieri contingeret, vt quodcumq. in quodcumq. ageret atq. a, quocumq. pateretur, fieri posset, cuius tamen contrarium docuit Arist. Præterea hieme probamus aquam a frigore ambientis gelidam reddi, atq. in glaciem mutari, quæ sanè alteratio cum sit ad frigus, a frigore procedit. Præterea rhabarbarum quod calido siccoq. temperamento est, flauam bilem purgare experimur, quæ tamen actio a, simili in qualitate, non autem a, dissimili prouenit. Præterea omne agens in passum sibi simile facilius cum agat, existimandum est, a simili actionem ipsam fieri, hæc enim sunt, quæ aduersus Arist. adferri solent, cuius opinio aliquibus rationibus defenditur, Nam actio & passio cum in contrarijs maxime appareat, fieri non potest, vt ab eo quod penitus simile est, procedat. Præterea si a simili actio contingeret, idem in seipsum aliquando agerat, quod si quispiam concesserit, nullum ens sempiternum immobile q. dabitur, cuius oppositum Arist. ostendit, in tractatu de ipso facere deq. pati. Præterea si a simili actionem aliquam fieri contingeret, illam in instanti fieri oporteret, propterea quòd nulla contrarietas impedimento esset agenti, ne in indiuisibili suam actionem passo comunicaret, cum autem receptum sit omnem motum in tempore fieri, iccirco asserendum est, ab eo quod omnino simile existit, nullam actionem prouenire: hę igitur precipue sunt rationes, quæ in hac materia habentur, in qua Arist. interpretes varias sententias commenti sunt.

Alij enim putarunt, ex latinorum schola, ab agente, quod substantia & accidentibus cum patiente simile sit, nullam actionem contingere, quoniam videamus ignem in aquam agere, propter contrarietatem, quæ est calidi ad frigidum, non autem ob aliquam similitudinem, quòd si ignem magnum in paruum agere videamus, hoc contrarietatem secundum gradus & virtutem sequitur, quare omnino ab ipsa dissimilitudine actionem fieri oportet.

Alij autem dixerunt, actionem in principio alterationis a dissimili procedere, in fine verò ab ipso simili, in principio enim cum id quod patitur, aliquo modo agenti

do agenti resistat, in fine autem nequaquam, quia assimilari patiatur, atq. videatur quicquid producitur, a sibi simili aut specie, aut genere produci, quoniam calor calorem producat, iccirco fit actio tum a simili, tum a dissimili.

ALII voluerunt a dissimili secundum formam & gradus, tum in principio, tum in fine alterationis actionem omnem procedere, quod tamen secundum genus & materiam simile esse dicatur, quoniam ea, quæ alterius generis sunt, in materiaq. minime comunicant, adinuicem agere patiq. nequeant, nec non ea, quæ nullo modo adinuicem opponuntur.

Hæ igitur sunt opiniones in hac materia precipue, de quibus operepretium est, vt inditium adhibeamus, opinio quam primo loco adduximus, nullo pacto defendi potest, quoniam si solius contrarietatis ratione actio contingeret, nulla rerum generatio contingeret, sed tantum corruptio, si agens passum superaret, si autem equalia essent, nullam prorsus actionem fieri necessarium esset, non igitur dissimilitudinem tantum actionem consequi asserendum est. Præterea quæ ad mentem Arist. in paraphrasi docuimus, de agente vero eoq. proximo & immediato veritatem habent, non autem de quocunq. agente, cum non omne agens in materia comunicet cum eo, quod ab illo patitur.

SECVNDA opinio etiã dubitatione nõ caret, quia in fine alterationis actio & passio cessant, habitibus enim presentibus in materia cessat motus, cum ergo actio et passio in fieri esse suum habeant, quocunq. tempore motus, seu alterationis, necessarium est vt agens quamdiu agit, vt aliquam dissimilitudinem habeat cum patiente. Præterea secundum gradus videtur semper dissimilitudo seu contrarietas seruari inter agens & patiens, quod reactio indicat, contrariarum qualitatum in omnibus mistis, et quia ignis octo gradibus calidus in aquam totidem caloris gradus minime introducat.

TERTIA ergo opinio verior in via peripatetica erit: Nam actio & passio in omni motu cum inter terminos solum appareat, inter quos agens actu in passum agit, in fine autem omnem actionem cessare videamus, quæ passum assimilare intendit, iccirco necessarium est, vt aliqua semper inter agens et patiens contrarietas seruetur, cum autem ea, quæ sunt contraria, agere patiq. nequeant, nisi in materia comunicent, ideo similia quodammodo esse oportet. Similitudo hæc secundum materiam semper seruatur in ipsa alteratione, nec non contrarietas, quia actionem necessarium est, fieri tum ab eo quod est simile, tum vero dissimile, simile secundum materiam, dissimile secundum formam, secundum accidentia in alteratione vt aliqua similitudo inter agens & patiens appareat, fieri potest, in qua tamen adhuc secundum gradus contrarietas apparebit, ignis enim cum aquam calefacit, calore conueniunt ignis & aqua, discrepant tamen secundum gradus caloris, ita vt semper in alteratione dum fit, a, dissimili actio proueniat, quod in materia cum patiente quoniam conuenit, etiam a simili procedit, ita vt omne agens naturale, quod per contactum agit, & per qualitates,

dicatur esse partim simile, partim dissimile ei, in quod agit.

QVIBVS ad veritatem hoc pacto constitutis, rationes aduersus Arist. allatas, arduum non est dissoluere, prima enim nullum robur habet, quandoquidem in gradu contrarietas sit, non autem secundum speciem. de qua ratio concludit. cum enim remisse in mistis corporibus elementorum sint qualitates, in elementis verò in summo, iccirco cũ in omnibus non sint equalia, calorẽ & frigus in corpora animalium agere contingit. Ad secundam rationem dicimus, aliquam esse contrarietatem in aquæ partibus, ita vt mirum non sit, etiam si aliud corpus non concurrat, si pristinam frigiditatem recuperet, quemadmodum antea docuimus. Præterea ab aere ambiente qui illa frigidior est etiam refrigeratur, ita vt aliqua semper contrarietas, in quacunq. alteratione requiratur.

AD quartam facilis est responsio, quoniam aliqua est secundum gradus contrarietas, & si similitudo sit secundum formas, quæ quidem sufficit, vt actio passioq. in naturalibus corporibus contingant.

AD quintam dicimus, rhabarbarum a calore natiuo mutari, atq. reddi contrarium morbo, quare bilis purgationem sequi necessarium est, ita vt ratione alicuius contrarietatis id etiam contingat.

AD vltimam rationem consequens negamus, quoniam dum fit alteratio, nulla omnino secudum substantiam similitudo est inter agens & patiens, sed tantum secundum accidentia, quia passum in alteratione disponitur, vt agenti in fine illius assimiletur, quare mirum non est, si id quod dispositum quodammodo est, facilius mutetur ab agente, quàm id quod nullam dispositionem adhuc habet, iccirco faciliorem videmus esse eorum elementorum mutationem adinuicem, quæ simbolas qualitates h. [illegible] madmodum suo loco docebimus.

DISPVTAT. 3 SEPTIMA, AN FORMAE substantiales elementorum. quæ miscentur, aliorumq. miscibilium, in mistis maneant, an verò solum virtutes eorum.

DISPVTATIO proponitur, an miscibilia, quæ sunt partes mistorum, in illis secundum eorum vires & facultates solum, an verò etiam secundum eorum formas reperiantur: Etenim frequens est hæc disputatio in scholis Philosophorum & Medicorum omnium, satisq. obscura. propterea quòd ad vtramq. problematis partem fundamenta & rationes ab Arist. desumptę adferri possint.

IN primis enim virtutem tantum miscibilium in mistis saluari, scribit Arist. initio capitis primi de mistione, in quo hæc scribit, neq. actu permanent, neq. corrumpuntur, neq. alterum, neq. ambo, sed virtus eorum saluatur, quæ miscentur. Præterea rationes habentur, quæ rem hoc pacto se habere, ostendunt, quarum prima hæc est, Elementa secundum formas in misto si remanerent, hoc

incommodum

incommodum sequeretur, plures formas actu in vno eodemq. misto reperiri, quod si cõcedatur, aliud sequetur absurdum, aut vnum totum perse non esse ipsum mistum, aut misti formam nihil aliud esse, quàm elementorum formæ, quorum vtrumq. est falsum. Præterea aliud incommodum sequetur, si elementa secundum eorum formas in misto remanserint, misti generationem simplicem generationem non esse, sed generationem secundum quid, aut cõpositionem quandam, & similem compositioni domus, ut acerui lapidum & tritici. propterea quòd mutatio eorum esset, quę actu sunt, non autem potestate, cum immutabilia elementa manerent.

PRETEREA aliud incommodum sequeretur, penetrationem corporum dari, quoniam elementorum formæ, cum sint in materia, corpus semper constituunt, in mistione igitur plura corpora remanebunt, quæ si misceri debeant, vt sese penetrent necessarium erit.

PRO altera parte problematis in primis definitio mistionis ab Arist. tradita, proponi solet, si enim misto nihil aliud est, quàm miscibilium alteratorum vnio, non autem corruptorum, necessarium est, vt non solum virtutes illorum, sed etiam substantiæ in misto reperiantur.

PRETEREA elementa si toti misto comparentur, cum vim materiæ sustineant, ex qua mistum producitur, elementum autem, quod materia est, nihil aliud sit, quàm id ex quo fit aliquid, cum insit, necessarium profecto erit, vt in mistis etiam elementorum formæ saluentur.

PRETEREA in misti naturali interitu, qui fit per putredinem, quæ simplici generationi opponitur, cum experiamur dissolutionem misti in quatuor elementa fieri, in quibus non solum vis sed qualitas vniuscuiusq. elementi apparet, hesitandum non est, in mistis formas elementorum reperiri.

PRETEREA mista omnia a, predominio elementi cum moueantur, motus autem formam elementi sequatur, cui dubium, quod formæ illorum in mistis remaneant.

HAE enim potissime sunt rationes, quę ad vtramq. disputationis partem adferri possunt, in qua varie sunt opiniones Philosophorum & Medicorum.

AVICENNAS in primis existimauit, elementorum formas in mistis inalteratas remanere, qualitates autem mutari quidem, vt forma misti resultare valeat, quæ temperatura nuncupatur, quod illi tribuit Auerroys. 3. collecta eorum alijsq. locis.

ALBERTVS putauit elementorum partes in mistis inalteratas omnino reperiri, & cum suis qualitatibus summis, secundum eorum vim tamen minime operari, quoniam formę misti subijciantur, quæ illas moderatur, atq. continet. Elementa enim duplex esse cum habeant, alterum substantiale, alterum vero accidentale, secundum esse substantiale libera sunt in suis Sphæris, in mistis autem non libera, quia ligata sint a forma ipsius misti.

Thomas

THOMAS & Scotus conueniunt, quòd solum vires facultatesq. elementorum maneant in mistis, substantiæ vero minime, quoniam ex mutua actione passioneq. eorum cum miscentur non solum remittantur, sed tandem formę illorum corrumpantur, ita vt mistum solum elementorum vim habeat calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & siccandi. quibus forma misti superadditur, quę virtutibus elementorum si conferatur, rationem actus habet, virtutes autem potentie. videtur hæc opinio niti fundamento, quoddam, ab Arist. accepto. libro 2. de partibus animalium, vbi tres in animalium corporibus compositiones statuit, primam ex prima materia & primis contrarietatibus, secundam partium similarium ex elementis, tertiam verò dissimilarium ex similaribus, quo loco aperte scribit, ex virtutibus elementorum aerem, terram, ignem, & aquam generari. tribuunt aliqui hanc opinionem Alexandro, atq. etiam si virtutes elementorum sole in mistis maneāt, fieri adhuc posse, vt in misti dissolutione quatuor elementa generentur. ex eorum virtutibus et prima materia, si enim forme manerent, sequeretur duo contraria in medio esse, atq. vniri, quod pro impossibili habetur, cum videamus colores medios in extremos minime dissolui.

CARDANVS in lib. suo de elementis, aquam et terram secundum substantiam & facultates in mistis remanere putauit, ignem autem cum aere tantum secundum eorum virtutes, calor enim cœlestis cum omnia generet & misceat, terre partem in quam non egit, terram esse permittit, eam verò in quam egit in aerem mutat, ita vt aerem secundum substantiam in misto non manere pateat, sed illum a calido igneo fieri, atq genitum ab eodem calore expelli, quod in hominibus, qui ualidiori sunt calore manifestū est, flatibus enim expertes sunt, qui verò modico calore abundant plurimum flatus habent; Preterea scribit aer & ignis secundum substantiam in mistis si manerent, apparerent in corruptione misti, quemadmodum sensibiliter terra & aqua apparent, aerem preterea etiam si concedamus, mistis inesse, illum natura aquea esse ostendit propterea quòd suapte natura frigidus sit, ignem autem terrea natura etiam esse ait, propterea quòd ignis in siccum terræ agens, ignem generat, sunt ergo duorum tantum elementorum substantie in mistis, aliorum vero vires tantummodo, quod Aristo. fundamento quoddam adhuc probare contendit, quoniam libro 4. meteo. dicat viuentia omnia aqua terraq. constare, atq. in illis viuere.

GALENVS Hippocratem sequutus, primo libro de elementis aduersus Athenæum, voluit in mistis non solum substantias, uerumetiam vires facultatesq. illorum esse, alteratas tamen & quodammodo mutatas, non tamen equaliter omnia, quoniam aerē minus alterari alijs in mistione voluit, quemadmodum libro 8. de dogmatibus Platonis & Hippocratis cap. 3. scribit, sententiam hanc inter Arist. interpretes Auerroydes sequitur lib. 3. cœli, com. 67. in quo circa materiam hanc digreditur, vbi scribit elementa secundum eorum formas in misto permanere, quæ quatuor qualitates cum sint, intenduntur & remittuntur,

elementorum

elementorum formæ mistorum formis si comparentur, naturam imperfectam habent, ita vt videantur prime qualitates, quæ illorum formę sunt, medium quoddam esse participare inter formas substantiales, et accidentales, quæ intendi remitiq. secundum substantiam possunt.

EA opinio, quæ profitetur solum virtutes elementorum in mistis remanere, multas dubitationes patitur, in primis Arist. dogmatibus contraria videtur, qui duo requiri voluit, vt aliquid vere misceri dicatur, alterum quòd miscibilia eam naturam, quàm antequàm miscerentur, habebant minime retineant, alterum verò quòd nequaquam miscibilia cum miscentur, corrumpantur, vtrumq. autem requiritur, quoniam necessarium sit, actionem cum passione admistionem concurrere, alterum autem, quoniam mistum nihil aliud sit, quàm ipsa miscibilia, quemadmodum totum, quod nihil aliud est, quàm suæ pærtes. Præterea determinauit Arist. passionum secundum se mistionem non esse, quod si secundum substantiam miscibilia non miscerentur, sed tãtum secundũ virtutes, iam passiones secundum se misceri contingeret. Præterea proprias passiones ab eorum subiectis separari contingeret, atq. substantiæ accidentia equipolere, cum misti naturam componerent, ex illisq. resultaret, quæ quidem impossibilia sunt. Præterea motus principium accidentia esse, non autem substantiam contingeret, quod quidem falsum est, cum forma quæ substantia existit, motus principium dicatur. Nec vrget fundamentum, a Scoto propositum, de medijs coloribus, quoniam colores extremę materię rationem non habeant, cum ex illis medios minime componi arbitremur, quandoquidem simplicium colorum differentie, species quædam separate sint, quemadmodum in tractatione nostra de coloribus scripsimus. Elementa autem misti materia cum sint, iccirco in naturali misti interitu ad illa dissolutionem fieri oportet.

AVICENNAE opinio nullo modo sustineri potest, quoniã multa absurda sequerentur, in primis formã ignis in summo perfectamq. in maiori densitate raritateq. minori saluari, quod impossibile est, cum elementa in summo raritatem densitatemq. determinatam habeant, nec non grauitatem & leuitatem. Preterea violenter in misto elementa essent, cum motus proprios nequaquam exerceant. Prȩterea elementorum formæ in summo incompossibiles cum sint, nullo modo fieri poterit, vt in mistis elementa secundum eorum formas in summo atq. perfectas inueniantur. Prȩterea in viuentibus cum videamus pro ætatum mutatione, etiam secundum quatuor qualitates temperamentum mutari, minime existimandum est, in mistis elemẽta secundum eorum summas qualitates remanere.

ALBERTI opinio Arist. in Metaphy. destruit, qui ex multis in actu, vnũ totum quoddam in actu ab illis distinctum resultare negant, quod perse esse dicatur. Præterea nullam miscibilium actionem passionemq. fieri opus esset in misti generatione, quoniam ex eis omnino manentibus, nulloq. modo mutatis, mistum fieret, quod tamen cum Arist. negauimus, qui aduersus Antiquos ex his, quæ

omnino

omnino manent, mistionem fieri negauit, quemadmodum mistionis ratio satis ostendit.

ALIORVM opinio, qui crediderunt elementorum formas in misto remanere, nullamq. misti formam ab illis diuersam generari, omnium ineptissima est. Vnaqueq. enim elementi forma apta cum sit, corpus vnum cum prima materia constituere, sequeretur in quocumq. misto, supposita quatuor vt ita dixerim haberi, nec non compositum nihil aliud esse, quàm aggregatum quoddam ex pluribus entibus in actu, iuxta solum positis, veluti est lapidum cumulus. Præterea cum grauia leuiaq. in misto confusa sint, negari non potest, quin elementa quatuor in mistione non mutentur, ita vt potestate potius quàm actu illi in esse dicantur.

CARDANI opinio nullo pacto probari potest, quoniam calorem elementarem in corporibus tum animatis, tum inanimatis inesse, putredo indicet, in qua non vitalis & cœlestis vt Recentiores quidam perperam putarunt, corrumpitur, sed elementaris, qui quidem ad simplicem similarium corporum partiumq. similarium in animalibus cum frigore concurrit, vt scribit Arist. in lib. de generatione animalium, aerem animantium corporibus inesse spiritus ostendunt, qui aliam naturam quàm aeris referre nequeunt. in inanimatis autem maior aut minor grauitas, quàm aeris mistio efficit. ita vt elementa impura secundum naturas eorum in mistis reperiri, & quecunq. sit necessarium, & si videantur omnia magis terra, & aqua participare, hæcq. in illis magis sensibilia fore. Nec verum est aliquos fuliginosis recrementis nequaquam abundare, cum impossibile hoc sit, propter inspirationem expirationemq. continuam, quam animalia calidiora & sanguinea exercent.

VERA ergo Hippocratis, Galeni, Auerroysq. opinio erit, quam Philoponus sequitur, elementa miscibilia cum sint mistum componentia, in misto potestate non autem actu esse, quoniam mistum ignis, aquæ, ceterorumq. formas habeat, non in summo, sed castigatas, quod quidem ita se habere patet, propterea quòd in mistione vini & aquæ, certum sit illorum substantias, non autem solam virtutem permanere, atq. aquam impuram esse, nec non & vinum, potẽtia enim aliquid in misto esse, non est formam illius in eo non esse, sed potestate esse propter vltimam misti formam, quare non dicuntur eo modo elementa potẽtia esse, quo materia prima est, quæ nullam formam habet, sed quia actus formaq. misti non sunt, cuius materia esse dicuntur, impura ergo elementa corporum partes cum sint, secundum substantias & vires manere dicuntur. Hanc autem opinionem ad mentem Arist. esse, facile ostendemus, si quædam quæ verissima sunt, in medium attulerimus: Etenim ex definitione mistionis constare arbitror, miscibilia in misto manere, non corrupta sed alterata, ita vt alia sit miscibilium ratio in misto, ab ea quam ante mistionem habebant, quod si de solis virtutibus intelligatur, hoc dicendum nequaquam erat, quoniam certissimum est, virtutes cum

accidentia

accidentia sint, intendi atq. remitti, quod de formis manifestum nequaquam erat. Præterea Arist. aperte hoc testatur lib. 3. de cœlo part. 32. vbi ait, in carne ligno et vnoquoq. talium inest potentia ignis, ac terræ. Nec obstat quod obijciunt aliqui, substantiam magis & minus minime suscipere, quoniam hoc de substantia perfecta veritatem habeat, non autem de imperfecta. quis enim queso est, qui in oximele mellis & aceti substantiam cum virtutibus adesse neget. Rationes preterea, quæ pro hac opinione adduximus, efficaciam multam habẽt, quare ab hac discedendum nequaquam esse censeo.

RELIQVVM modo est, vt rationes dissoluamus, quæ opinionem hanc impugnare videntur.

AD primam dicere solent, qui Auerroym defendunt, fieri posse, vt plures formæ quæ sibiinuicem subordinate sint in vno & eodem animato reperiantur, quoniam earum postrema solum rationem actus habeat, alie vero potentię ex quibus vnum totum quod perse est resultat.

AD secundam dicunt, nullam esse consequentiam, cum miscibilia remaneant in misto alterata non autem inalterata, quemadmodum ex mistionis ratione colligitur.

AD tertiam dicunt nullum esse incommodum allatum, quia in mistione elementorum diuisio ad minima fiat, ita vt minimum vnius minimum alterius tangat atq. quoniam potentia elementa in corpore esse dicantur non actu.

AD auctoritatem Arist. priore loco adductam dicunt, hoc arguere elementa secundum substantiam manere, cum passiones a suis corporibus inseparabiles sint, cum autem virtutes magis inesse pateat, iccirco Arist. illas manere dixit, quod tamen elementorum substantias, mistis non tollit.

DISPVTATIO OCTAVA, AN ELEMENTORVM formæ in mistione alterentur, atq. secundum earum substantiam remittantur. ita vt magis minusq. suscipiant.

VT omnia quæ priore disputatione tractauimus, intelligantur, operepretium est, vt eam disputationem aggrediamur, in qua Peripatetici omnes querunt, an elementorum formæ, quæ prime quatuor sunt qualitates, magis & minus suscipiant: Etenim in Arist. preceptis an hoc contingat, dubiũ est, nec preterea vtraq. disputationis pars rationibus caret. Quòd formæ elementorum minime intendi atq. remitti valeant, cum eorum formæ sint de genere substantiæ, ab Arist. colligitur, qui in prædicamentis hanc proprietatem substantię tribuit, substantiam magis minusq. nullo modo suscipere, ea enim maxime a qualitate distinguitur. & quocunq. accidente. Præterea si formæ elementorum, quæ substantiæ sunt, intensionem remissionemq. admitterẽt, fieri poterit, vt vna eademq. substantia sub eodem genere species diuersas participare valeat, quia quantum

vnius contrarij remittitur, tantum alterius admittitur auctore Arist. libro 5. phy. part. 6. hoc autem asserere absurdum cum sit, iccirco elementorum formæ magis & minus nequaquam suscipiunt. Intendi autem atq. remitti elementa, definitio mistionis, quam Arist. tradidit ostendit, cum miscibilia alterata maneant, ita vt elementorum formæ in qualitate conueniant, quòd adeas alteratio esse possit. Præterea elementa nisi remitterentur, cum miscẽtur, nihil ex eis produceretur, quoniam ab excessu caloris & frigoris nihil generetur, quemadmodũ libro 4. operis Metereologici alibiq. Arist. docuit. Præterea sequeretur vnum incommodum, ad quod alia sequuntur, in mistis elementa pura & in summo esse, non autem impura, atq. refracta, quod si quispiam concesserit, iam non poterit forma misti aliqua resultare, nec erit ipsum mistum totum et vnum per se existens, cum ex pluribus entibus in actu impossibile sit, vnum tertium quod per se sit resultare. alias rationes, quæ potius sophistice sunt, in hac disputatione omittimus, necessarias enim tantum adferre, in his disputationibus decreuimus.

DVAE in hac materia opiniones habentur, quarum alterã Latini sequuntur, alteram Auerroys, quæ adinuicem si conferantur, videtur sententia Auerroys magis peripatetica, minoresq. pati dubitationes. Locus autem precipuus in quo circa materiam hanc Auerroys digreditur, est lib. 3. cœli com. 67. in quo in Auicennam insurgit, qui elementa secundum se tota in mistis reperiri putauit, solum autem secundum qualitates intendi atq. remitti. Nam cum manifestum sit, elementa præter formas substantiales, etiam proprias qualitates seu passiones habere, quæ illas consequuntur, fieri non potest, qualitatibus remissis vel intensis, quin substantiæ a quibus fluunt, similiter non intendantur atq. remittantur. Concludit igitur secundum eorum formas substantiales, quas primas quatuor qualitates esse voluit, cum ex illis & prima materia elementa generari dixerit. Arist. intendi atq. remitti, cum enim primę sint formæ quæ materię aduenium, in genere formarum imperfectissime sunt, ita vt possint magis & minus suscipere: nisi tales essent, nihil ex elementis produceretur. Præterea rediret opinio Empedoclis, qui elemẽta immutabilia secundum formas faciebat, quod si dabitur, non poterit generatio simpliciter saluari, nisi formę remitterentur, operationes elementorum vt calefacere, infrigidare, humectare, & siccare nequaquam remitterentur, cum autẽ videamus in mistis summas vires et actiones minime elementa prestare, necessarium est, vt formæ a, quibus ipse actiones procedunt remittantur, nec ob id formę corrumpuntur, quoniam in naturalibus corporibus cum sit dare maximum & minimum, in quocunq. minimo ignis forma ignis saluatur, ita vt minimum ignis habeat caliditatem, vt quatuor, quemadmodum libro primo de elementis Galenus docet. qui quidem gradus in mistis cum potentia sint, non autem actu, veluti in elementis, iccirco non exercent vires eorum summas, calor enim elementaris in cadauere ad tactum non sentitur, & in pipere, quia potestate inest, non autẽ actu. Nec ob id etiam videbitur, vna

portio

portio ignis alia magis ignis esse, etiam si concedamus, elemẽta magisq. minusq. secundum eorum formas suscipere, cum in quacunq. ignis particula illius gradus seruentur: Vera ergo est Auerroys opinio, elementa cum sint mistorum materia, secundum eorum formas intendi atq. remitti, quod eo modo intelligendum est, formas quę actu erant in elementis in misto potestate esse, in quo summas eorum vires minime exercent, elementa verò similia materiæ esse, Arist. docuit libro primo de anima, part. 81. vbi inquit, materiæ enim similia sunt elemẽta, quæ anima non est, quæ corpus continet. et quę in omnibus corporibus minime apparet & si omnia ex elementis constituta sint. quod Latini cum non intelligerent, minime assequuti sunt, quomodonam fieri possit vt elementa magis minusq. suscipiant, ita vt eorum gradus seruentur in mistis, a quibus prestantiores operationes fiunt, quàm ille sint, quas in suis Sphæris exercent.

HIS autem ad veritatem constitutis, reliquum est, vt rationes, quas in eam proposuimus dissoluere properemus.

AD fundamentum ab Arist. desumptum in libro predicamentorum dicimus, de substantijs imperfectis locum non habere, quod si quispiam Auerroy minime concedat, elementa imperfectas substantias esse, Dicimus & si eorum formæ potestate in misto sint, ob id tamen non esse magis aut minus formas illis, quę in elementis simplicibus atq. in impuris habentur, sed equalem perfectionem habere, cum suos gradus retineant, in hoc autem solum discrepare. quòd in mistis potestate sint, in elementis actu, quod in materia & forma apparet, quæ substantiæ sunt, quæ si adinuicem conferantur, dicitur forma materia magis substantiæ esse, non quòd magis & minus substantia ob id suscipiat, cum equaliter vtraq. substantia sit, sed quoniam actus qui formæ competit potentia perfectior sit, quę materiæ conuenit.

AD rationem propositam dicimus, minime absurdum esse, in alteratione vt vnum idemq. corpus formas diuersas, quæ accidentales sint, participet, quoniam postreme si conferantur rationem potentie habeant, in aqua ergo tepida minime duæ sunt formæ perfecte, sed dispositio sola ad caliditatem, alteratione caloris introducitur, vt caloris forma in instanti in aqua introducatur, quam vbi calefacta est, aquam calidam non autem aquam simpliciter nuncupamus.

DISPVTATIO NONA, AN ELEMENTA, tota per tota secundum eorum substantias, & virtutes misceri dicantur, an verò tantum secundum virtutes illorum.

CELEBRIS in Philosophorum, Medicorumq. schola disputatio proponitur: Cum elementa in misto secundum eorum formas & virtutes manere determinauerimus, an tota solum secundum eorum virtutes misceantur, an verò secundum eorum etiam substantias. Vtilem enim esse hanc disputationem

Medicis, scribit Galenus lib. de const. artis cap. 7. Sunt ergo ad vtramq. problematis partem rationes, nam substantias etiam totas per totas misceri, illud in primis arguit, quòd in lixiuio substantiam cineris & aquæ, non autem solas facultates mistas esse videamus, similiter mel & acetum in oximelite. Præterea cum ex mistione corpus homogeneum & similare resultet, quoddamq. commune, videbitur mistio non solum qualitatum esse verumetiam ipsarum substantiarum: nam si substantiæ non miscerentur, non esset quelibet pars carnis caro, vel quod cunq. illius minimum, nec diuisio eius ad carnem terminaretur secundum minima, sed ad terram, aerem, aquam, & ignem. Præterea in elementis impuris manifeste apparet mistio substantiarum, presertim in terra & aqua maris, & mineralibus, similiter in oleo et semine, quid ergo est, quòd solas qualitates totas per totas misceri indicet. Præterea in cute, quæ media substantia est inter carnem & neruum, videmus substantiam non autem solam vim & facultatem carnis & nerui vt pote calorem & frigus mista esse, sed etiam ipsas substantias. Præterea in tetrapharmaco patet ipsas substantias totas per totas mistas fore, non autem solas virtutes & qualitates simplicium, ex quibus componitur. Pro altera parte problematis etiam non desunt validissime rationes. Primum enim si substantiarum esset mistio, sequeretur dari penetrationẽ corporum, quod omnino est impossibile. Præterea mirum est, quomodo cadauera animalium dissoluantur in elementa, nulla facta prius dissolutione in partes ipsius misti homogeneas & comunes. Præterea in musicis instrumentis, vt harmonia resultet, satis est vt ius chordarum quæ miste non sunt, misceatur, ita etiam in humanis corporibus, videmus calorem cordis misceri calori proprio omnium partium, ipsam autem cordis substãtiam minime misceri, quare ipsarum tantum virtutum fieri potest vt sit mistio, non autem substantiarum. Præterea cum ignis aquam calefacit, solam ignis qualitatem aquæ misceri contingit, non autem ipsam substantiam, quia si substantia misceretur, non posset aqua feruentissima, ad pristinum frigus seipsam restituere. Præterea videmus multis hominibus ad nauim trahendam compositis, solum eorum vires misceri, non autem corpora, quare videtur nullo pacto totas per totas confundi ipsas substantias, sed solum ipsas elementorum virtutes.

VARIE sunt in hac materia opiniones, Zeno Citeius Philosophus, et Chrisippus, quem Sossigenes sequutus est, putauerunt, non tantum ipsas qualitates totas per totas mistas esse, sed etiam ipsas substantias, atq. hanc mistionem fieri corporum, quæ miscentur conextensione, integrorum interse per integra, ita vt seruet quodlibet eorum in eiusmodi mistione propriã substantiam et qualitates, quæ vnicuiq. insunt, & hanc solum veram mistionem fore, in qua separantur ipsa miscibilia, contra extensionem autem eorum, quæ miscentur, fieri putant, permeantibus perse mutuo corporibus, quæ temperantur, ita vt nulla sit in ipsis pars, quæ non omnia participet, quæ in temperata hac mistione conueniunt.

Plurimæ

Plurima autem pro hac sententia adducit Chrisippus fundamenta, videmus in primis aerem & ignem, aquæ misceri & terræ, secundum substantiam, similiter venena partibus ipsius corporis, & animam, quæ substantia est ipsius corporis, & lucem cum aere, nam corpora vnita sese adiuuant, vt per omnia vniantur & per integra interse coextendantur, videmus enim quædam corpora adiuncta alijs maiorem suscipere magnitudinem, quia illis coextenduntur, vt aurum propter quædam admista medicamina, plurimum diffundi, multa enim fiunt auxilio aliorum corporum, quæ non fierent. Plotinus Platonicus etiam in hac fuit sententia lib. 6. 2. Aeneidis, cap. 2.

GALENVS & si in re hac anceps videatur, in primo tamen de elemẽtis ad finem, inquit Hipp. nihil de hac re determinasse, sed in lib. de natura humana tantum dixisse, elementa tota temperari ipse autem aperte scribit, elementa tota per se confundi & misceri, suis eorum substantijs, quod exemplo mistionis aquæ & vini ostendit, quare Gal. aperte ait, elementa ad minima diuisa, secundum eorum substantias inuicem misceri, causas autem vt fiat mistio, qualitates esse, quibus inuicem agere patiq. possunt ipsa elementa in lib. verò de facultatibus naturalibus ait, homini facultas non est, tota per tota miscendi eiusmodi corpora, calidum, frigidum, humidum, & siccum, sed Dei aut naturæ est opus. at in lib. de substantia facultatum naturalium dicit potius putandum est ipsarum qualitatum esse.

ALEXANDER autem in lib. de sensu & sensili solas qualitates totas per totas confundi, atq. misceri, non autem elementorum substantias putauit, fit enim in mistione minimorum solum iuxta positio, & eorum ita iuxta positorum sole qualitates confunduntur, veluti cum ignis lapidẽ aut ferrum calefacit.

FERNELLIVS autẽ apud Gallos celebris Medicus tribuit Auerroy, non tantum vires sed etiam substantias elementorum totas per totas temperari, in ipsa mistione, quoniam qualitates sint ab ipsis substantijs in elementis inseparabiles. Nam qualitatum si mistio tantum esset, diuisione elementorum ad minima opus nequaquam foret, appositio enim & continuatio elementorum sola satis esset, si enim substantiæ elementorum essent immutabiles, posset quispiam putare totas per totas substantias eorum mistas non esse, at cum mutentur, quoniam corruptis eorum excellentijs misceantur, nulli dubium est, cum potẽtia misto insint non actu, eorum etiam substantias confundi, quo quidem modo corporum penetratio non datur. Etiam si difficillimum sit aliquid in hac materia determinare, crediderim tamen fieri posse, vt substantiæ ipse tote per totas misceantur: nam si piper & cinamomum quispiam in tenuissimum polinem redegerit, minima separata non referent alterius naturam seorsim, sed vtriusq. Similiter elementa cum impura concurrant ad mistionem, opus est substantias illorum misceri, non enim ea impuritas est ratione solius qualitatis, sed etiam substantiæ cum adeo perpetuetur in illis. Præterea cum passionum cum subiectis non fit mi-

stio quomodo nam fieri potest, vt sole qualitates ignis misceantur, terræ aut alij elemento, in alteratione sole qualitates videntur quidem misceri, ea tamen alteratio vere mistio non est, Præterea in igne inferiori qui videtur in lumine & intenebris, mistio terræ est, non tantum penes ipsas qualitates verum etiam penes ipsam substantiam. Similiter in medicamentis, quę potestate calida sunt, terræ & ignis mistio huiusmodi est, præterea nisi substantię miscerentur, esset tantum iusta positio minimorum mistio, quod negat Arist. non enim ab ipsa compositione differret, attamen magis euidens qualitatum mistio est, quam substantiarum, quod maxime in mistione liquidorum fieri cernimus: nimirum ergo est, si vnumquodq. minimum in quatuor elementa dissoluatur, sole enim qualitates si miscerentur, satis esset, dissoluere & separare tantum minima ipsa iusta posita in corruptione misti, at cum videamus separari elementa ab vnoquoq. minimo, putandum etiam est, ipsas substantias totas per totas confundi & misceri, non autem tantum ipsas qualitates: & hoc certe Dei tantum aut opus naturæ esse potest. quod ratio comprehendit non sensus: nisi substantiarum mistio esset, minime fieri posset, vt nouam formam vnumquodq. minimum in mistione susciperet. Præterea hoc satis apparet in bombice, in quo aquæ substantia confunditur cum tota & vniuersa ipsius bombicis substantia, nec dabitur penetratio corporum, propterea quòd non fit in hac mistione corporis cum corpore mistio, sed primum ipsius formæ & qualitatis corporis, deinde vero ipsius materiæ, quæ incorporea existit, præterea cum magnitudo addatur his, quæ miscentur illam a qualitate prouenire non est putandū, sed ab ipsa dimensione, quæ substātie inest, qualitas enim vniuscuiusq. potius perire videtur, ipsa autem magnitudo, quę additur permanere, quare dubitandum non est, ipsas substātias confundi totas per totas in mistione, quam antecedit compositio, non autem solas qualitates, nec dubitandum de hoc est, etiam si videamus corpora quædam solida non misceri, sed solum eorum qualitates, quia soliditas ea est, quę talem substantiarum mistionem atq. confusionem impedit. hęc enim omnia etiam adfert Plotinus libro 6. Aeneadis 2. cap. 2. si ergo verior hæc est opinio, nulla erit eorum, qui solas qualitates misceri putant, totas per totas. nec eorum, qui solam materiam materiei seorsim misceri dicunt, & seorsim qualitates ipsis qualitatibus. quod si ita sit, etiā ea opinio reprobatur, quæ illa omnino non misceri putauit, sed tantum materiam materijs apponi, similiter & qualitatibus qualitates. in eximelite enim, ita videmus misceri portiunculas aceti & mellis, vt vnaqueq. vtriusq. saporem referat, non ergo est appositio materiei aut qualitatis solum, sed vtriusq. commistio. nec etiam vera est ea sententia, quæ profitetur solas qualitates misceri, non autem ipsas substantias, propterea quòd mirum videatur, quomodo nam paruum corpus possit in mistione magno equari, & adeo extendatur, vt per totum maius sese effundat. Præterea nisi materia maneret quomodo redderetur aliquid maius, cui res misceatur aliqua. in mistione enim cum sit opus seruari ea, quæ miscentur,

scentur fieri non potest, quin etiam non fiat aliquod incrementū. Fundamentum autem quo nititur, nullū est, quia vtrumq. corpus mutatur in mistione, atq. ita fit vt tota materia eorum corporum vt pote quatuor elementorum participet omnes qualitates, ex quibus vna tandem resultat, quæ temperamentum nuncupatur, quare cum dicimus elementorum misceri substantiam & qualitates materiam & formas eorum totas per totas misceri intelligimus, non tamen ita, vt corpus corpori misceatur, vt corpus aquę corpori ignis, quemadmodum putant, qui rem hanc non intelligunt, illa enim corpora ita ad minima redacta vnā constituunt materiam, in qua quatuor elementorum qualitates difunduntur, temperate & ad simmetriam quandam redacte, ita vt vnam formam constituant, quia contraria in summo & in actu non possunt in vna et eadem materia saluari, & manere simul & semel, obscura certe ita res hæc est, vt mihi nondum satis facere sentiam: si ergo res vt diximus se habet, reliquum est, vt rationes in contrarium allatas diluamus.

AD primam itaq. rationem ex fundamentis positis dicimus, non sequi dari penetrationem corporum, quoniam in ea alteratione fit vna materia ex illis partibus ad minima diuisis, in qua omnes elementorum qualitates equaliter extenduntur, atq. in ea difunduntur: Si enim vnumquodq. minimum suam seruaret naturam, fieri non posset hæc mistio, secundum substantiam, quin daretur penetratio corporum, preterea tollitur ea ratio, esse materiam quæ miscetur quæ incorporea est, non autem ipsa corpora.

AD secundam rationem. dicimus aliud esse, rerum diuistionem aliud verò resolutionem, cum resolutione vnumquodq. mistum naturaliter intereat, non est opus, vt resolutio fiat in partes homogeneas, sed in heterogeneas. caro igitur cū putrescit dissoluitur in quatuor elementa.

AD tertiam rationem dicimus non esse mistionem illam harmoniam, sed tantum consonantiam quandam, & formam accidentalem, quæ non in cordis manet sed susscipitur in aere ipso, in quo voces graues & acute confunduntur, nec negotium adiungit, quòd videamus cordis calorem totis partibus communicari, substantia cordis non mista alteri particule, vapores enim calidi miscentur, qui a corde demandantur, attamen magis qualitas ipsa miscetur, quemadmodum antea diximus.

AD quartam dicimus, ignem misceri, quoniam vapores illi calefacti naturam ignis induant, qui aquæ miscentur, actione ignis, quare mirum non est, si resolutis illis vaporibus, aqua pristinam recuperet frigiditatem.

AD vltimam rationem dicimus eam non esse mistionem, quoniam manent inalterati illi homines cum nauim trahunt est potius additio & compositio quędam.

Disputatio

DISPVTATIO DECIMA, AN TEMPERatura qualitas sit, an verò substantia.

ALTERVM succedit problema difficillimum examinandum, an ipsa temperatura qualitas sit, an vero potius substantia siue species & forma in ipsis animantibus atq. in partibus similaribus quarum forma & natura esse videtur. Philosophi enim a, Medicis dissentiunt atq. interse Medici non cõueniunt.

NON desunt rationes ad vtramq. partem problematis, in primis temperaturam substantiam non esse, sed qualitatem. hoc argumento ostendi potest. Nam cum temperamenti varij sint gradus in vno & eodem animali, ita vt magis minusq. suscipiat, variasq. mutationes pro ętatum mutatione, tẽperaturam qualitatem esse, non autem substantiam aliquis putabit. Præterea substantia sensu non sentitur sed qualitas, temperaturas tactu maxime iudicamus, igitur putandum erit, illam qualitatem fore non autem substantiam. Præterea temperatura nihil aliud est, quàm proportio virtutum elementorum & harmonia quædam, igitur illam qualitatem esse, non autem substantiam dicendum est.

ESSE autem substantiam multis rationibus ostenditur, quarũ prima hęc est. Nam cum temperamentum sit finis generationis, in ijs autem quæ generantur, forma & finis coincidãt, existimandum est, temperaturam substantiam non autem accidens esse. Præterea vitiata temperatura actionem vitiari contingit, actionum autem causa in animalibus non est aliquod accidens, sed substantia, quę speciem denotat, igitur actionum causa temperatura cum sit, erit potius substantia quàm qualitas. Præterea si temperatura essentia partium similarium est, essentia autem formam, quæ substantia est sequatur, dicendum est temperaturam substantiam fore. Præterea si primæ qualitates in elementis sunt substantiæ, ab illis autem prodeant temperamenta, veluti soboles quædam, non est dicendum temperaturam qualitatem fore, sed potius substantiam. Præterea cum videamus partium & corporis naturam tolli temperatura sublata, profectò illam substantiam fore existimandum est.

MATERIA hæc preclaris viris in re medica multas peperit ambiguitates. Montanus enim cum loci huius obscuritatem videret. dixit esse quidem illam qualitatem at non accidentalem sed substantialem, nam ex Metaphy. 9. colligitur hoc duplex genus qualitatis, vt risibillitas in homine qualitas quædam substantialis est, hoc non potest tribui Auicennę, qui accidentia solum alterari & remitti in mistione putauit, non autem substantias elementorum, quare erit omnino qualitas quædam accidentalis ipsa temperatura.

ALII putauerunt temperaturam ex Gal. mente substantiam vere nequaquam esse, sed illam essentiam similarium dici aliquando formam et speciem, quia est potissimum instrumentum, quo partes proprias actiones exercent, & a quo

natura

natura parum pendere videtur. Cum ergo sublato instrumẽto actiones pereant, potuit medicus, qui est artifex sensatus, illam substantiam asserere, quæ opinio aliquam habere videtur rationẽ, cum in lib. quòd animi mores sequantur corporis temperamẽtum cap. 4. eam essentiam, quę forma est, animam esse dixerit atq. eam nihil aliud esse preter temperaturam, in quo sane Andronicum peripateticum laudat. Galenus & Stoicos, qui eam spiritum quendam fore dixerunt, non sæcus quàm naturam.

ALII cum viderent in hac re difficultatem presertim Cardanus & Argenterius noster dixerunt, aliud esse de temperatura, cum illam in inanimatis spectamus, in qua est finis generationis, aliud verò cum illam in animatis consideramus: nam in inanimatis erit quidem substantia, in animatis autẽ qualitas quædam, siue instrumentum ipsius animæ, quæ est fons & origo omnium operationum, quod dictum apud me patitur difficultatem, cum constare videamus temperaturam ratione ab ipsa mistione diuersam fore, esseq. veluti sobolem mistionis, tum in inanimatis, tum in animatis, quare alia non debet illius ratio in eis esse, in illis enim essentia constituta est in forma mixti, quatenus mistum dicitur, quæ per simplicem producitur generationem. Nam Galenus in lib. de substantia facultatum naturalium visus est Arist. immitari, inquit enim essentiam similarium esse ab ipsis qualitatibus, quoniam generent ex actione calidi & frigidi in humidum & siccum, quemadmodum etiam scribit Arist. in 3. de generatio. animalium, at de instrumentalibus dubium est, quoniam he potius a virtute formatiua siue a generante fieri videntur. ita vt ex hoc non deducatur in inanimatis temperaturam esse substantiam, Nam Gal. expresse ait, temperaturam constare mistione primarum qualitatum, quàm elementorum ipsorum substantia, ita vt si sequatur in similaribus quatuor primas qualitates veluti in viuentibus, non debet in alijs substantia nuncupari, in alijs vero qualitas. Nam Auer. in paraph. Metaphi. tracta. 2. aperte ostendit, formam mixti aliam esse a forma elementorum componentium. ita vt preter temperaturam detur forma misti in inanimatis quę illius essentia est, compositum enim differt ab elementis per formam, quæ non est elementum nec ex elementis, sed temperatura est ex elementis, ergo erit quid diuersum a forma ipsius mixti, quatenus est mistum & corpus quoddam similare, ita vt iam non sit constituenda aliqua differentia inter animata & non animata. Præterea sequatur alterum incommodum quod vni est accidens, alteri substantiam esse, quod in 8. Metaphy. negat Auerroes.

FVERVNT & alij qui propter huius materiæ ambiguitatẽ, dixerunt, in animalibus quæ ex semine generantur, temperaturam minime oriri ex ea elementorum simmetria, sed ex proportione humidi radicalis & caloris natiui, in inanimatis autem & his, quæ ex putredine generantur sequi temperaturam simmetriam quatuor qualitatũ, quæ insunt elementis, ita vt mirum non sit, si prestantiorem temperaturam animalia, quæ ex semine propagantur habeant, quæ vitam

diuturniorem habent, & possint sibi simile generare, inter animalia autem homo prestantissimũ est, et diuiniorem temperaturam obtinuit, quare cum sint calidum natiuum & humidum radicale substantię, temperatura in animalibus, quæ ex semine fiunt substantia erit, quod sane dictum minime verum est, quoniam etsi sint substantię calidum & humidum, quæ sunt principia animalis, ex eorum tamen qualitatibus ad simmetriam redactis resultat temperatura, vel ex qualitatibus elementorum, quæ sunt substantiæ, temperatura inanimatorum, & eorum, quæ ex semine non propagantur.

QVID ergo in hac materia secundum veritatem dicemus? Existimo veriorem eam sententiam esse, quæ profitetur qualitatem fore, tum in animatis, tum in inanimatis: nam Galenus in lib. de substantia facult. naturalium aperte temperaturam animæ instrumentum esse statuit, quo deficiente recedat anima, nimirum ergo in plurima effusione sanguinis, cum temperatura corrumpatur, aut ex nimia totius corporis refrigeratione, si anima recedat, & non amplius suas exerceat operationes, cum autem inquit Gal. temperaturam essentiam partium similarium esse non est putandum, illam esse substantiam, constitutio enim partium similarium oritur quidem a temperatura, quoniam nondum perfecte sunt cum generantur, nisi sit facta temperatura 4. primarum qualitatum, nec est putandum cum temperaturam actionum causam statuit, eam vt formam statuere, sed vt instrumẽtalem causam, veluti cum dicimus calorem esse causam vitę, non est causa vt forma, sed vt instrumentum, quo anima oritur, est enim vita prima participatio animæ cum calido. quod etiam allatum est ex lib. quòd mores animi nullum momentum habet, loquitur enim secundum sensum, non autem secundum rationem Galenus. Nam in lib. de sanit. tuenda cum latitudinem maximam temperaturam & sanitatem habere dicat, vtramq. in qualitate ponit, non enim ita mutaretur, nec tot gradus admitteret, nisi qualitas esset: nimirum ergo si eam cœli varia & aeris ambientis constitutio, ętates, sexu, vitæ studia, consuetudo, & morbi immutent, erit igitur qualitas temperatura in omni misto, tum animato tum inanimato.

AD rationes quæ illam substantiam fore indicabant, dicimus finem immediatum & quem primo agens intendit esse substantiam, non autem id quod hunc finem consequitur, cum ergo temperatura formam misti sequatur in inanimatis, non erit substantia, in animatis autem, quoniam non est vltimus finis temperatura ipsa sed anima.

AD secundam dicimus vitiari actionem, quoniam instrumentum vitiatur, nã in actionibus cũ concurrat facultates & instrumẽta, altero leso opus est ledi ipsam actionem, non ergo est putandum ipsam temperaturam substantiam fore.

AD tertiam quæ nititur auct. Galeni, dicimus illam non arguere quòd sit substantia, sed hoc dixisse Gal. vt quandam differentiam indicaret inter partes similares atq. dissimilares, forma enim similarium videtur esse temperatura, dissimilarium,

similarium, anima ipsa. attamen in similaribus est soboles formæ mixti.

AD quartam rationem dicimus, & si sint substantiæ, posse tamen ab illis sequi temperatura, quæ sit qualitas, veluti in homine risibilitas, quæ essentiam hominis sequitur & formam, quæ substantia est, cum tamen illa sit accidens.

AD vltimam dicimus, hoc non arguere ipsam esse formam viuentis, & substantiam, sed animæ instrumentum, quo deficiente vita extinguitur, & forma eius abit.

DISPVTATIO VNDECIMA, AN detur mistum æquale ad pondus.

SVCCEDIT quæstio examinanda, nec omittenda, an temperamentū æquale simpliciter possit dari, quod ad pondus æquale nuncuparunt, de quo etiam apud Medicos controuersia est, in via Galeni: non enim desunt rationes, quæ in vtramq. problematis partem afferuntur, quarum prima hæc est, hoc æquale ad pondus non dari, quoniam quiesceret inter duo elementa, cum nec grauitatem, nec leuitatem haberet. Præterea si hoc temperamentum daretur, maxime in homine reperiretur, at homo est calidissimum animal, veluti testatur in lib. de animalibus. Arist. ergo. Præterea cum omne mistum sit talea, prædominio elementi, quod formæ sequitur non potest tale æquale ad pondus dari. Præterea si daretur, aut non consisteret, aut ab eo nulle prodirent actiones, et motus, cum autem nullum mistum sit, quod non moueatur, & agat aliquam operationem, non erit hoc æquale ad pondus in rerum natura. Præterea cum ignis sit maxime actiuus, si daretur nihil posset misceri, nec fieri, quoniam ignis omnia alia elementa corrumperet, summus enim calor mistionem impedit & generationem, moderatus autem hæc efficit. Præterea cum in omni etate videamus aliquam exuperare qualitatem, non potest dari æquale ad pondus.

PRO altera parte sunt rationes, quarum prima hæc est, dari æquale ad pondus, quoniam in lib. de generatio. scribit Arist. in hoc differre mistionem a, generatione, quoniam in generatione semper aliquod elementum exuperat, in mistione vero æqualia redduntur, igitur mistum æquale ad pondus datur. Præterea fieri potest, vt secundum mensuram detur, quoniam alij gradus elementorum, qui habent rationem cōtrarij igni resistunt. Præterea in oleo apparet, quod residet in medio aeris & aquæ. Præterea Arist. 5. Metaphy. si datur inæquale, datur æquale, quoniam æquale est veluti mensura, quæ mensuratum sequitur. Præterea cum omnis mutatio procedat ab extremo ad extremum, in transitu medio a frigore ad calorem, non potest hoc æquale ad mensuram negari.

VARIÆ sunt opiniones in hac materia. Aliqui dixerunt de mente Galeni, dari hoc æquale ad pondus, esse tamen momentaneum, quia in transitu medio vnius contrarij in alterum apparet, & si non perseueret.

ALII dixerunt, moti auct. Arist. in 2. de partibus animalium cap. 7. dari hoc equale in corpore humano ex coalternatione membrorum, ita vt sit secundum ipsas vires.

AVERROES omnino illud negat, quoniam cum mistio temperaturam antecedat, quam sequitur formam misti, opus est, vt semper aliquod elementum dominetur, atq. quoniam actio omnis semper proueniat a proportione maioris inequalitatis.

ALII deniq. putarunt saluari hoc temperamentum equale secundum vires, non autem secundum portionem elementorum, nam ignis cum sit maxime actiuus, & si sit sub minori quantitate quàm ceterorum vnumquodq. tãtam vim agendi habet, veluti cetera.

QVID dicendum sit in hac materia, & secundum veritatem. Si Peripateticos & Auicennam sequamur, profectò impossibile est, dari equale ad pondus, hoc enim nec produci potest per simplicem generationem, nec aliquo pacto, si daretur consisteret, nec secundum vires, nec secundum mensuram, nec secundum gradus, nam non est par in humano corpore mensura elementorum, nec vis nec gradus ipsi sunt pares. Præterea rem ita se habere experimur, cum omne mistum sit aut graue aut leue, nec non illius temperamentum aut calidum, aut frigidum, atq. in alijs qualitatibus exupcrans: nisi ita fieret tum in mistione & productione mistorum, tum in illis iam genitis & factis, nulle actiones fierent. In via Galeni etiam non potest admitti, quoniam & si in transitu a summo calore ad summum frigus, per medium sit trãsitus, attamen in eo motu non est factum aliquod mistum, nec sentitur ea equalitas ad pondus, quoniam est continua caloris et frigoris adinuicem actio, donec alterum illorum superet. Præterea si hoc equale ad pondus admitteretur, maxime in homine reperiretur, quoniam omnium animalium temperatissimum animal dicitur, at in homine non reperitur, igitur nullo modo datur, solum igitur reperitur. temperamentum equale ad iustitiam, quemadmodum scribit Arist. lib. 2. de partibus animalium cap. 7. & hoc resultat ex simmetria temperamentorum omnium membrorum, in qua calor cordis ceteras superat qualitates, cum omnia membra illius calore participent, de qua sane membrorum equalitate memmit Galenus lib. 1. de sanit. tuen. cap. 5. & 6. Errauit ergo Fernellius Montanus & alij, qui ad mentem Galeni sustinuerunt, dari equale ad pondus, quia si sic possibile tale dari & non deducatur ad actum, frustra erit hæc potentia, quæ ad actũ deduci non potest. Nec momentaneũ dari potest, quia cum tẽperamentum mistionem sequatur, si mistio nonerit tale temperamẽtum etiam non erit: inepta est opinio eorum, qui putant dari hoc equale ad pondus ex coalternatione membrorum, cum hoc potius efficiat temperamentum equale ad iustitiam, in quo calidum alias obtinet qualitates, nec vera esse potest opinio illorum, qui secundum vires illud dari putant, cum ex equalitate virium potius resultet temperamentum equale ad iustitiam, quemadmodum

scribit

scribit Galenus, & hoc illud est, in quo qualitates elementorum seruant equilibrium proportionis, cogitatione igitur potius cõprehenditur, hoc equale ad pondus, quàm quòd reuera dari possit, veluti lib. 1. de sanit. tuenda testatur Galenus. nam inquit hoc non est, quia vel non fieret mistio, vel si fiat, hoc erit Dei vel naturæ opus.

INDVBITATVM igitur sit, nec de mente Galeni, nec Auicenne dari hoc temperamentum equale ad pondus, quoniam ab eo nulle prodirent actiones, sed tantum equale ad iustitiam, quod ex simmetria virium elementorum exacta resultat, in quo non est equalitas graduum, aut qualitatum, aut portionis elementorum, sed virium elementorum ea equalitas, quæ optime naturæ vniuscuiusq. generis competit, vt optimas edat actiones.

AD rationes autem in cõtrarium allatas, non est difficile vt respondeamus. Ad primam igitur dicimus, dictum Arist. minime arguere equalitatem ponderis, sed equalitatem proportionis virium ipsorum elementorum.

AD secundam dicimus, & si detur secundum gradus, non dari tamen secundum vim & facultates agendi ipsorum graduum, a quibus resultat ipsum temperamentum.

AD tertium de oleo dicimus impediri oleum ab humore viscido aquæ ne descendat, si tamen aquę conferatur, cum in eo aer predominetur, oleum esse leue, non autem medium inter graue & leue.

AD quartum dicimus, verum esse quod dicit Arist. simpliciter non autem secundum quid.

AD vltimam dicimus, illud non esse mistionem, siue tẽperaturam, sed viam ad ipsum temperamentum.

ANTONII BERGAE TAVRIN.

PHILOSOPHI ET MEDICI, LIBER

SECVNDVS DISPVTATIONVM,

IN LIBROS ARIST.

De ortu, & interitu.

DIPVTATIO PRIMA, AN QVALITATUM primarum duæ solum actiue, duæ vero passiue sint, an omnes tum actiue, tum passiue existant.

DISPVTATIO proponitur, an primæ elementorum qualitates, partim actiue, partim verò passiue sint, an verò caliditas cum frigiditate solum actiue sint, humiditas autem cum siccitate passiue existant: Etenim mutua elementorum mutatio, in primis quamcunq. actiuam atq. passiuam fore, ostendit, non enim fieret mutatio ignis in aerem, nisi aeris humiditas in siccitatem ignis ageret. Præterea cum hæc sit contrariorum natura, quòd alterum in alterum agere, ab alteroq. pati valeat, non est existimandum, duas solum actiuas, duas verò passiuas esse. Præterea actio naturalis cum per contactum fieri soleat, quæ autem in agendo tangunt, etiam patiantur, a, primis autem quatuor elemẽtorum qualitatibus actio & passio in mortalibus procedat, iam dubitandum non erit, quin omnes vim agendi, patiendiq. habeant. Præterea formæ omnes naturales. cum agant, primæ vero qualitates elementorum formæ sint, omnes agere putandum erit. Præterea siccum humido commistum illud terminat, terminare autem cum sit quoddam agere, siccitas profectò inter actiuas qualitates connumerabitur, nec non humidam cum alterum alteri terminum esse docuerit Arist. lib. 4. operis meteorologici. Præterea cum vim habeant alterandi corpora animalium humor & siccitas, cui dubium, quòd actionem omnibus tribuere possimus, non autem calori & frigori tantum. Esse autem duas solum actiuas, non solum fundamentis ab Arist. desumptis, sed etiam variis rationibus ostẽditur. Arist. enim lib. 4. operis Meteorologici cap. 1. aperte scribit, quatuor primarum qualitatum duas actiuas, duas verò passiuas esse, frigidum & calidum actiuas, quoniam sint terminantes, copulantes, & transmutantes, & ea quæ sunt eiusdem generis, & ea quæ non eiusdem generis, humidum autem cum sicco passiuas fore, quoniam sicca & humida terminata sint, aliasq. passiones susceptientia, quod præterea ex eorum definitionibus ostendit. Præterea in simplici corporum similarium generatione, cum calor & frigus rationem formæ habere dicantur, quia humorem et

siccum

ſiccum obtineant, erunt profectò duę tantum qualitates actiuę ipſorum elementorum. Præterea vis maxima alterandi, quæ frigori caloriq. ineſt, has qualitates actiuas eſſe, indicat. In hac diſputatione varię opiniones habentur: Etenim ſi eos ſequamur, qui miſtis aliam formam a formis elementorum ſuperaddi negarunt, erunt omnes qualitates proculdubio actiuæ. Si autem eos, qui contrarium profitentur, dubium adhuc eſt, quid nam in hac diſputatione ſentiendum ſit.

ALEXANDER inter Peripateticos exiſtimauit omnes qualitates primas agere & pati, calorem autem & frigus magis agere, quàm pati, ſiccum & humidum magis pati, quàm agere, quandoquidem in omnibus contrarietas appareat, atq. hoc non ſolum in elementis, ſed etiam in miſtis verum eſſe.

GALENVS libro primo de facultatibus naturalibus cap. 4. ſcribit calorem & frigus in animalibus magis agere, minus autem humidum & ſiccum, & in hoc non tantum Hippocratem, ſed etiam Ariſt. conuenire oſtendit, in elementis autem omnes equaliter tum agere tum pati, quoniam concedat ortum atq. interitum caloris & frigoris actionem eſſe, quemadmodum ex lib. 2. de gen. animalium cap. 4. colligitur, cum ait ſimillarium ortum in animalibus frigore caloreue agi, diſſimilarium verò ab anima, ſeu a virtute formatiua, quæ eſt in ſemine: niſi in generatione rerum calor & frigus humidum & ſiccum obtinerent, nullum miſtum produceretur, quod ſimilare corpus eſt.

ALII exiſtimarunt in generatione miſtorum cum Auerroy. lib. 4. Meteo. com. 8. calorem & frigus ſemper agere, humidum verò & ſiccum pati, propterea quòd calor & frigus in humorem et ſiccum non agant, tanquàm contrarium, in contrarium, ſed tamquam in propriam materiam, quæ cum alterationi ſubijcitur, ſemper patitur, ſi enim calor & frigus humori & ſicco opponerentur, ſimul ſtare non poſſent. Præterea ſiccum iuxta poſitum humido, ipſum nõ exſicat, ſed ſiccum calidum, quare nullo modo actiuè erunt calor & ſiccitas qualitates, ſed tantum paſſiuę, ita vt hoc ducti fundamento aliqui etiam in rebus genitis. hoc verum eſſe putarint, non autem in ſola rerum generatione.

HAE enim ſunt opiniones, quæ in hac diſputatione circumferuntur, de quibus iuditium adhibere difficillimum extat. Inter opiniones propoſitas, poſtrema nullo pacto defendi poteſt, ſequeretur enim nullam frigori & humori actionem eſſe, quod tamen falſum eſt: ſola enim quantitas non eſt de numero actiuorum, qualitas autem omnis de numero actiuorum exiſtit. Calor enim per accidẽs exſiccat humoris abſumptione, ſiccum autem per ſe. Similiter & humidum per ſe humectat. Nulla etiam eſt ea ſententia, quæ profitetur in generatione calorem et frigus ſolum agere, in miſtis autem genitis quamcunq. agere et pati, quoniam omnia tandem ignis aut aqua facta eſſent, atq. miſta omnia igne & aqua magis participarent, cuius contrarium docuit Ariſt. qui lib. 4. operis Meteorologici. voluit omnia viuentia terrea aqueaq. eſſe. Præterea niſi in generatione omnes agerent & paterentur, minime in miſtione remitterentur, cum ergo remittantur atq.

tur atq. refracte in misto remaneant, nullo pacto hæc opinio cum priore sustineri potest.

DE sententia Galeni & Alexandri quid sit dicendum, operepretium est, vt definiamus, Galeni sententia dubitationes patitur, quoniam magis appareat in plantis & animalibus omnes actiuas atq. passiuas esse, quàm in elementis, quoniam in mistis elementa omnia refracta sint. non autem in summo. Ignis enim cæteris elementis si conferatur, rationem formæ habet, cum omnia in suam naturam mutare valeat, illisq. vt materia vtatur. Præterea temperamenta mistorum quæ calida, frigida, humida, siccaq. insurgunt, rem ita se habere satis ostendunt: nisi in mistis vnaqueq. qualitas agendi patiendiq. vim haberet, hoc non fieret. Magis ergo Alexandri opinio probatur, quæ vnamquamq. quatuor primarum qualitatum, tum in mistis tum in elementis agendi patiendiq. facultatem habere, profitetur. magis tamen calorem & frigus agere, humidum autem cum sicco magis pati, quemadmodum definitiones eorum indicant, nec non frigus calori si conferatur, passiuam qualitatem dici posse, cum ignis qui in concauo orbis Lunæ continetur, cæteris inferioribus elementis, si conferatur, formæ vim habeat, illa verò materiæ: nimirum ergo si in generatione rerum calor & frigus cæteras obtineant, qualitates, in illas q. agant, quemadmodum ex Arist. sententia docuimus: nisi actiue omnes etiam forent, propriam actionem vnaqueq. illarum minime obiret, nec corpora viuentium immutaret, aerem enim secundum illas mutatum corpora nostra alterare experimur, nec non victus rationem, quæ aut calida, aut frigida, aut humida, aut sicca sit: Cum ergo qualitates primæ dupliciter dicantur, aut absolute aut in respectu, quemadmodum scribit Arist. lib. 2. de partibus animalium cap. 2. iccirco secundum diuersas rationes, earum alie possunt actiue nuncupari, alie verò passiue, nec non vnaqueq. illarum actiua atq. passiua, ita vt rationes in hac materia allatas facillimum sit dissoluere, quæ humiditatem cum siccitate nullo modo agere ostendebant, fundamentum enim ab Arist. desumptum, minime concludit omnino & simpliciter duas actiuas esse duas, verò passiuas, sed in respectu, cum adinuicem conferuntur. quo quidem pacto rationes etiam concludere videntur.

DISPVTATIO SECVNDA, QVAE nam qualitates sint vere formæ quatuor elementorum.

DISPVTATIO difficillima proponitur, quæ nam sint vere formæ ipsorum elementorum substantiales, an grauitas & leuitas, an verò quatuor primæ qualitates, quæ principia elementorum cum materia prima statuit Arist. Nam grauitas & leuitas cum sint principia motuum horum corporum, quod autem in naturalibus corporibus insitum est motus principium, forma sit, quæ cum materia tale vel tale corpus componit, potius grauitatem & leuitatem formas esse

mas esse proprias elementorum non autem quatuor primas qualitates aliquis existimabit.

NON desunt rationes & auctoritates Arist. quæ vtramq. disputationis partem defendunt; Etenim primas qualitates formas elementorum substantiales esse, primum ex his, quæ hoc loco ab Arist. proposita fuerunt, quispiam opinabitur, ille enim inter principia ex quibus substantiæ compositæ insurgunt. posite fuerunt, quæ eũ principia sint cum materia elementorũ non possunt aliam rationem quàm formæ habere atq. substantialis, cum substantiarum principia substantias esse in Metaphy. Arist. determinarit. Præterea Arist. in lib. de sensu & sensilibus scribit ignem agere non inquantum est ignis, sed inquantum est calidus, cum ergo actio siue operatio formam, a qua rei essentia dependet, sequatur, caliditatem in igne formam talem esse fateri oportet. Præterea Arist. lib. 2. de partib. animalium cap. primo ait, primam compositionem eam esse, quę fit ex materia prima & primis contrarietatibus, quas sequuntur raritas, densitas, grauitas, & leuitas, in corporibus, si ergo sunt primæ contrarietates constitute in primis qualitatibus, & ex illis cum materia simplicia elementa ortum habeant, cui dubium quòd erunt elementorum proprie formæ & substantiales, quæ priores minime supponant, a quibus dependeant. Præterea actiones ignis & aquæ vt terminare, congregare, & segregare, tribuit 4. qualitatibus, igitur videtur dicendum illas esse, formas substantiales, cum formę sit principium quo corpora, suas edunt operationes. Præterea cùm ab his 4. qualitatibus denominari elementa docuerit Arist. denominatio autem formam sequatur, a qua rationes rerum sumuntur, dicendum est illas elementorum formas substantiales esse. Pro altera parte arguit in primis Auerroys, lib. 8. Metaphy. com. 5. quod vni est accidens, alteri substantia esse non potest, in mistis primæ 4. qualitates accidentia sunt, quia sunt dispositiones formæ misti, ergo in elementis non erunt substantię. Præterea si calor in igne esset differentia substantialis, tunc composita habebũt definitionem ignis, poterit enim per calidum corpus cholericum definiri, siquidem calidum sit compositum ex substantia ideſt materia ignis, & qualitate, vel ex substantia ignis, & duobus accidentibus, vt puta ex igne & calore cum siccitate, quæ sunt duo accidentia potestate, cum autem mista hoc pacto non definiantur, sed per formam vltimam superadditam elementorum qualitatibus, necessarium est, vt in mistis accidentia sint non autem substantię, primę qualitates. Præterea aperte Arist. 3. Metaphy. 17. ait elementorum calores & frigiditates & similes passiones, non sunt substantiæ, quoniam si ignis est substantia, vel est calore tantum, vel sicco tantum, vel vtroq. si calore tantum, siccitas erit accidens, si vtroq. tunc ignis non erit vnum totum simplex, quod est absurdum. Præterea sequeretur ad substantiam secundum formam esse contrarietatem, & ad substantiam esse per se motum, contra Arist. lib. 5. phy. part. 10. igitur non sunt 4. primæ qualitates formæ substantiales elementorum, sed accidentales.

Præterea substantia non suscipit magis & minus, quatuor primæ qualitates suscipiunt magis et minus, igitur accidentia sunt, non autē substantiæ elementorū.

IN hac disputatione duæ sunt opiniones precipue, Philosophorum & Medicorum, Alij enim putarunt primas qualitates formas substantiales elementorum esse Alexander inter Peripateticos & Galenus Medicus. Alij autem et Auer. lib. 8. Metaphy. eas formas accidētales esse voluit, quem multi sequūtur.

CARDANVS in lib. finis de subtil. rerum in tract. de elementis putauit, illas accidentia esse, similiter et ignem, quoniam videamus illum migrare de subiecto in subiectum, quod minime substantia patitur, cum ergo videamus ferrum igniri lapides ligna, illum accidens esse dicendum est, similiter calorem, non autem substantiam.

QVAE autem harum opinionum sit peripatetica, crediderim illam esse, quę profitetur, primas quatuor qualitates formas substantiales esse: nam inter principia primas contrarietates, quæ in illis sunt constitute enumerauit, que cum sint substantiarum siue corporum naturalium, non nisi substantiæ esse possunt. Præterea videmus actiones elementorum esse calefacere, infrigidare, humectare, & siccare, cum ergo actiones formam sequantur, non est putandum, accidentia huiusmodi formas esse, ignis enim agit, non inquantum ignis, sed inquantum calidus, ergo caliditas substantia & essentia ignis existit. Præterea cum calidi proprium sit rarefacere, quoniam vaporem in aerem conuertit, & aerem in ignem, rarefactionem sequitur leuitas, frigidi autem cum sit condensare, quia aquam permistam terreis vaporibus congelat, condensationem sequitur grauitas, ita vt primæ qualitates ille sint, a quibus formantur elementa & propter quas inter se discrepant.

VNDE Auer. & Cardani opinio non est accipienda, siquidem minime sit absurdum, secundum diuersas rationes, vnum & idem accidens & substantiam vocari, nam respectu vltimæ formę mistę elementares videntur dispositiones quædam esse, in elementis autem sunt formæ & substantiæ solum. Quod autem ait Cardanus est leuissimum, nam ignis propter summam illius actiuitatem omnia in suam naturam conuertere potest, cum autem hoc fieri nequeat absq. contactu, propterea videtur migrare de subiecto in subiectum, non tamen eo modo quo accidentia, quæ subiectum in suam naturam minime mutant & conuertunt. Præterea cum aliquis calefit ab igne non est substantiæ ignis, sed ipsius calefactionis migratio, quæ quidem est operatio ipsius caloris, non ergo ab operatione ad substātiam est arguendum. Quòd si quispiam dicat, quales nam erāt formæ in elementis grauitas et leuitas, dicimus eas esse etiam substantias, quemadmodum fatetur Auer. 3. cœli com. vltimo. 4. in elementa duplicem naturam habent, alterā vt sunt partes vniuersi, quo sane modo grauitate & leuitate distinguuntur non tamen separant ab alijs qualitatibus si vero vt sunt materia omnium generabilium & corruptibilium considerentur, potius istis primis qualitatibus

formari

formari dicentur, illorum tum formæ precipue sunt 4. qualitates veluti cogitur Auer. fateri 4. cœli. 26. quemadmodum ab Arist. lib. 2. de ortu & interitu & alijs locis colligitur, qui in ordine secundarum qualitatum grauitatem leuitatemq. recenset. nam plures formas substantiales in eodem corpore reperiri, quæ sibijnuicem subordinentur, minime est absurdum: in animatis est forma misti, sunt formæ elementorum gratia formæ misti, forma misti est gratia animæ. ita etiam in elementis accidit. vt sint duæ formæ de genere substantiæ, subordinate, grauitas cum leuitate & primæ 4. qualitates.

AD rationes pro altera parte problematis allatas reliquum est, vt respondeamus.

AD primam Auer. iam satisfecimus cum illius opinionem euerteremus.

AD auct. Arist. lib. 3. Metaphy. 17. dicimus comparatiue, loquutum esse, Arist. cum ait quæ verò maxime substantiam significant, sunt aqua, terra, & ignis, ex quibus composita corpora consistunt, horum autem caliditates, frigiditates & huiusce modi passiones illis comparate non sunt substãtiæ, quoniam corpus solum permanet, tamquàm aliquod ens & aliqua existens substantia, quæ vnum totum quoddam est, & significat.

AD rationem substantia non suscipit magis & minus, hoc habet veritatem de substantia perfecta non autem imperfecta, cuius generis sunt 4. primæ qualitates.

AD rationem sequitur in substantia esse motum, dicimus per accidens esse motum, non autem per se. non enim potest fieri mutatio absq alteratione precedente, quæ alteratio propter contrarietatem antecedit.

DISPVTATIO TERTIA AN IN VNIuerso elementa pura reperiri possint, an vero omnia in suis etiam Sphæris sint impura.

DISPVTATIO proponitur an dentur elementa pura in vniuerso, an non: etenim in mistis quòd minime sint pura satis constare arbitror, cum in misto alterata & refracta sint non autem in summo: Non enim desunt rationes & aut. ad vtramq. problematis partem. In primis enim in vniuerso et proprijs locis elementa impura reperiri, aqua & aer indicant, nulla enim aquæ species reperitur, quæ sapore careat, cum tamen aqua sui natura omni sit sapere destituta: Etenim propter vapores terreos commistos, aquarum alias nitrosas, alias sulphureas, alias ferreas, alias bituminosas, alias oleosas, quales ego vidi ad Balnea Vinadi in Alpibus Cotijs, & tales narrat apud Arab. esse Herodotus, ad quos adire frustra tentauit Cambyses Rex Persarum, alias acetosas vt in Germania, atq. Maris aquam salsedine plurima refertam, quare impurum est omne aquarum genus. De aere etiam cum vim calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & siccandi habeat, illum impurum esse oportet, quoniam suapte natura

solum humectare dicatur. Præterea cum humidum aeris valde patibile sit facillime a lumine et motu nec non a vaporibus & exhalationibus immutatur, ita vt in nulla regione possit purus seruari, quod ignite impressiones, quæ in suprema illius regione generantur, indicant, nec non aqueę, quæ in media ob eius frigiditatem summam, ita vt etiam sub Zona torrida in altissimis montibus niues generentur.

TERRAM autem impuram esse, multa ostendunt, in primis quoniam pura terra cum sui natura sit omnis coloris expers, videmus hanc terram habitabilem varijs non solum coloribus, sed etiam alijs qualitatibus præditam fore, vt sapore, odore, & ideo post imbres videmus alium & alium odorem, aliam & aliam terram refferre, quod minime contingeret, nisi humor in illa potens esset & calor moderatus illum concoquens. Præterea terrarum species diuerse, quæ medicamentose sunt, reperiuntur, vt lemnia samia; chia, cimolia, Aster, quæ diuersis facultatibus sunt preditæ, inter quas bolus armenus connumeratur. Præterea si terra pura esset in vniuerso, in illius visceribus & supra faciem eius, tam varia metallorum & plantarum genera non producerentur, cum frigus & siccitas non conferant ad rem generationem absq. calore & humore.

IGNEM purũ non esse, presertim quem nos habemus, nulli dubium est, cum sit visibilis in luce & tenebris, propter admistionem alterius corporis, purus autem ignis minime sit visibilis ex lib. de sensu & sensibilibus. in propria vero regione quod sit impurus, aer qui illi continuo, miscetur declarat, minorem tamen impuritatem admittit, quam alia elementa, quæ parata sunt propter eorum maximam impuritatem ad putredinem.

OMNIA autem impura esse cum videamus aquas terræ permistas similiter aerem & ignem. Cui dubium esse potest, nam natura aquæ postulat, vt supra terram tota maneat, & vt ignis sit supra aerem, est tamen ignis in Monte Aethna, & in nostra regione, quę si pura essent, non semper in ijs locis reperirentur, cum nullum violentũ sit perpetuum. Præterea Medicorum quidam aiunt in omnibus corporibus ob continuitatem humiditatem reperiri, quod si in igne sit humiditas, non erit purus nec non terra. Præterea si elementa pura erunt, nihil ex eis fiet, quoniam ab excessu caloris & frigoris nihil generetur.

Pro altera parte problematis multe sunt rationes ab Arist. desumpte, quarum prima sumitur ab his, quæ lib. 2. de ortu & interitu. Arist. proposuit, Ignem simplicem esse super abundantiam caloris, aquam autem frigoris atq. ex his nihil generari. Præterea in part. 22. ait Arist. extrema quidem & sincera sunt ignis & terra, mista autem magis aqua & aer, quæ sunt media horum. quare saltim ignis & terra erunt pura et sincera. Præterea ignis in concauo orbis Lunæ cum non sit visibilis purus est, quia quod videatur noster ignis, hoc est propter illius impuritatem, vt ex lib. de sensu. habere. Præterea Arist. lib. 4. cœli 31. ait, dari

graue

graue quod nisi impediatur semper est tale simpliciter, similiter & leue, quod nisi esset sequatur omnia grauitatem habere, quemadmodum putarunt quidam, quod tamen est falsum. igitur dabitur elementum purum, presertim graue & leue simpliciter, vt ignis & terra, quibus in part. quæ propositam sequitur leui simpliciter nullam omnino grauitatem tribuit, graui autem simpliciter nullam leuitatem. Præterea si elementa non erunt pura, fieri non posset, vt in proprijs locis quiescerent, et ad illa mouerentur, at nisi impediantur, videmus numquam a motu cessare, donec proprium locum sortita fuerint, igitur relinquitur illa pura in vniuerso esse. Præterea si elementa impura essent, nullum illorum corpus homogeneum sed heterogeneum esset, quod falsum est igitur pura sunt. Præterea de igne si esset impurus sequeretur ignem nos dari, sed tantum flammam & fumum, sed hoc est falsum, igitur ignem purum dari necessarium est.

IN hac disputatione variæ sunt opiniones eorum, qui quatuor clementa faciunt, non autem ignem de medio tollunt, vt inter Medicos Recentiores Cardanus.

QVATVOR autem sunt precipue opiniones. prima est Auerroys lib. 1. Meteo. com. 10. Nullum elementum etiam in propria Sphæra purum reperiri. in vniuerso, ita vt sola ratione puritas illorum comprehẽdatur, non autem quod reuera res ita se habeat, quoniam si sincera erunt, nullam susciperent mutationem, quam sententiam sequitur Auicennas & Cardanus, qui tria elementa quę admittit, impura esse omnino ait in proprijs Sphæris, quia Arist. in cap. 3. huius secundi libri voluit omnia esse mista, cum magis media mista esse dixerit.

SECVNDA opinio est Latinorum, qui omnia elementa in proprijs Sphęris pura esse dixerunt, quoniam impuritas illorum presertim aeris & aquæ, per accidens sit ratione luminis et caloris cœlestis, ipsa tamen esse per se pura, quod etiam videtur testari Galenus lib. 1. de elementis aduersus Aetheneum.

TERTIA opinio est Græcorum, qui mediam sententiam sequuntur, in proprijs Sphęris pura omnino esse ignem & terram, aerem autem & aquam impura, quæ rationem materiæ habent, si extremis comparentur.

QVARTA opinio quæ forte sustineri posset, est omnia elementa in proprijs locis impura esse, preter ignem, qui cum omnia in suam naturam conuertat nullam impuritatem admittit, nec in partibus nec in toto, quia aer ille qui maxime ad ignis naturam accedit, igni immediatus non potest ignis nuncupari, quia adhuc est materia ipsius ignis, veluti si comparetur lignum viride ligno siccissimo. & paleis, quæ magis aptæ sunt igniri, & exhalationi calidæ & sicce ad supremam aeris regionem eleuate.

SENTENTIIS allatis operepretium est, vt de illis iudicium afferamus. opinio ergo Auerroys difficultates patitur. Nam & si pura dentur elementa & sincera, non est tamen dicendum, illa minime alterari, quoniam vbi contrarietas est ibi alteratio conceditur, vnde cœlum in quo nulla cadit contrarietas,

tas, omnino est inalterabile. impuritas enim elementorum non est causa alterationis sed ipsa contrarietas, quæ in illis secundum primas qualitates reperitur. Quod autem adfert Cardanus esse magis mista media elementa, non arguit omnia impura fore, propterea quòd Arist. in hoc libro elementorum considerationem habeat, quatenus sunt materia mistorum omnium, quę quidem pura ad illorum constitutionem non concurrunt, in genere causæ materialis sed impura.

LATINORVM sententia difficultatem habet, propterea quòd in vniuerso elementa, vt seruetur eorum simmetria, cum perpetuo inter se agant et patiantur, non est per accidens vt sint impura, sed si impura sint omnia, hoc primo et perse illis inesse videtur. Quod si lumen & calor aerem & aquam mutent, hoc non faciunt vt illa impura reddant, sed vt agant in terram in quam absq. contactu agere non possunt.

GRAECORVM sententia etiam non caret dubitatione, propterea quòd terra minime in sua Sphæra sit pura, nisi in centro portio illius talis reperiatur, quod potius ratione quàm sensu ita se habere iudicamus.

MELIVS ergo est vt nostram opinionem defendamus, quæ profitetur solum ignem in propria Sphæra purum esse, alia verò elementa impura, quoniam ignis omnibus alijs tanquam materia vtatur, illaq. in sui naturam conuertat, ita vt illa sibi misceri minime patiatur. Quemadmodum enim cœlum omnino est inalterabile, ita etiam minus alterationem ignis suscipit inter elementa, ita vt in mistis minima portio ignis magis agat, quam multa portio aquæ & terræ. Ignis enim semper rationem formæ habet, alia verò elementa quibus nutritur, rationem materiæ, ex puriori enim materia constat ignis, quam alia elementa, qui cum alia sibi misceri non patiatur suamq. raritatem & puritatem seruet, purus propterea semper est in propria Sphæra secundum totum, maxime autem secundũ partem cœlo proximiorem. alia autem elementa impura, minus autem aere & aqua terra, quæ in centro putatur pura reperiri, etsi secundũ alias partes impurior aqua et aere existere videatur, quod si Arist. dixerit media esse mista magis, hoc simpliciter & secundum totum intelligi debet, quoniam secundum partes omnes interpretes consentiunt omnia elementa esse impura & mista.

AD rationes autem quæ omnia elementa pura esse ostendunt, & ad eas quę ignem impurum esse probare videntur, operepretium est, vt respondeamus. Ad eam ergo in primis rationem qua probauimus posse impuritatem contingere igni propter aerem continuum, qui illi miscetur, dicimus. Igni aerem illum minime misceri, quia a calore ignis corrumpitur, & in sui naturam conuertitur, nec aer ille purissimus adhuc ignis est, sed est materia aptissima vt ex eo fiat ignis: nam si aliqua impuritas caderet in igne, aliquando esset visibilis, quemadmodum inferior & noster ignis.

AD aliam rationem dicimus, habere veritatẽ de igne extra suam Spheram, qualis est ignis, qui apud nos est, non autem de vero igne, qui est in sua Sphera.

AD

AD eam rationem, quòd sit humor in igne, dicimus etiam si concesserimus humorem inesse igni, propter corporis, continuitatem, minime tamen arguere Ignem impurum fore, quoniam humor ille erit purissimus, veluti est humor spirituum in corpore animalis.

AD rationes autem ab Arist. acceptas, quę videntur probare pura esse omnia elementa, ita vt terra etiam cum aqua & aere sint pura.

AD primam nihil ex superabundanti frigore et calore generari dicimus hoc minime concludere, quin non sint impura elementa, quia in impuris potest stare caloris & frigoris excessus, qui non est aptus ad generationem animalis, vel alterius rei naturalis, nam etiam ex nostro igne impuro, qui tanta caliditate præditus non est, veluti ignis verus, nihil generari, videmus, non enim mixti alicuius compositionem ingreditur. & si illo vtamur ad multa artefacta, quare etiam ex impuris, cum excessum habent, nihil generari poterit.

AD secundam rationem, quòd aer & aqua sunt mista magis, ignis & terra sincera, dicimus Arist. comparatiue loquutum esse, ita vt etiam aliqua in alijs elementis cadat impuritas.

AD tertiam non est opus vt respondeamus, quia fauet nostrę opinioni quam de igne attulimus.

AD quartam ab Arist. acceptam dicimus, grauitatem & leuitatem non arguere puritatem, quia etiam remissa grauitate & leuitate elementorum, eadem loca habebunt in vniuerso, quia semper grauiora descendent leuiora ascendent, ne vacuum detur. Videmus enim vapores ascendere & exhalationes nisi impediantur, et si aere nostro inferiori et medio impuriores sint. Similiter quamcunq. terræ particulam nisi impediatur aptam esse, vt petat centrum ipsius terræ. ex hac solutione diluitur quinta ratio in ordine proposita.

AD sextam potest negari consequentia, quoniam videmus carnem ex pluribus elementis constare attamen corpus esse similare & homogeneum.

AD vltimam cum nostram de igne sententiam probet non est opus respondere.

DISPVTATIO QVARTA VTRVM ELEmenta vnam habeant propriam qualitatem, an vero duas. quarum vtraq. in summo insit.

DISPVTATIO proponitur examinãda, cum quatuor tantum sint elementa, an verum sit ignem esse magis calidi, terram sicci, aquam frigidi, aerem autem humidi: Nam ex his, quæ Arist. docuit lib. 2. de ortu & interitu. de combinationibus possibilibus primarum qualitatum, ex quibus quatuor elementa sunt formata, posset alicui videri, non tantum esse ignem calidi, sed etiam sicci, terram verò non solum sicci, sed etiam frigidi, atq. aerem, non solum humidi,

humidi, sed calidi, aquam autem non solum frigidi, verumetiam humidi; ex his ergo dubium oritur an vnam tantum qualitas vnicuiq. elemento in summo insit, an vero vtraq. ita vt ignis non solum sit summe calidus, sed etiam summe siccus, si comparetur terræ, quæ sicca existit.

IN primis enim videtur, quòd vna tantum sit in summo, quia ignis a, calore denominatur, eoq. differt a, ceteris elementis, ita vt calore sublato, non amplius ignis esse dicatur. Præterea ignis per se calefacit, per accidens autem exsiccat, humorem absumendo, igitur videtur ipsum calorem tantum in summo, igni inesse. Præterea cum ad siccũ durum reducatur, si in summo siccitas in igne esset, aliqua igni durities ineesset, nulla autem in eo existit, igitur non erit summe siccus ignis. Præterea quemadmodum motus simplex arguit formam simplicem, & vnam, ita etiam vna essentialis operatio siue passio ignis arguit vnam esse illius simplicem qualitatem, at ignis per se solum calefacit non autem exsiccat igitur vna solum erit in summo qualitas in igne vt caliditas, non autem duæ. Præterea si duæ qualitates in summo igni inessent, tunc vtraq. illi actu inesset, quo posito, sequatur duas formas in actu vnius simplicis corporis formam esse, quod quidem impossibile est, cum vna sit vltima corporum omnium forma, quæ inferioribus si comparetur, rationem actus habet. Præterea ignis & aqua in generatione mistorum corporum, solum frigore & siccitate agunt, non autem humore & sicco, ergo ille solum qualitates in summo erunt. Pro altera parte problematis etiam sunt rationes, quarum prima hæc est, quoniam specie differunt inter se siccitas ignis & terræ, nec non humiditas aquæ et aeris, quod si ita sit, fieri potest vt vtraq. qualitas in summo in vnoquoq. elemento habeatur. Præterea summa caliditas non potest esse absq. summa siccitate, et ideo videmus, corpora sicca calefacta validius calefacere, igitur relinquitur, quod in igne si est summa caliditas, quòd etiam sit summa siccitas. Præterea videmus materiam quæ in ignem conuertitur, primum exsiccari, igitur est opus, vt in materia ignis non solum sit in summo caliditas, sed etiam siccitas, quoniam non quęcumq. exsiccatio sufficit, vt ignis generetur ex materia ipsa, sed summa. & ideo videmus ignem solum impurum in his, quæ aliquam humiditatem habent, manere, vt in carbonibus. Præterea in pueris qui plurimo natiuo humore abundant, videmus plurimi natiui caloris esse, & temperati, in viuentibus autem qui ad siccitatem vergunt, igneum calorẽ abundare, igitur sine summa siccitate summus calor esse non potest, quare in igne non solum est summus calor, sed etiam siccitas summa si terræ comparetur, non enim frigiditas tanta siccitate eget, veluti calor.

IN hac disputatione variæ sunt opiniones, Latini enim voluerunt alteram solum qualitatem in summo elementis inesse. Nam si vtraq. in summo esset alicui elemento, non posset alterum elementũ in alterum agere, vt ignis in terram.

ALII putauerunt neutram primam qualitatum in summo ineesse elementis, tum quia omnia sint impura, tum quia videamus terram quæ est primum siccorum,

rum, plurima humiditate abundare, quæ requiritur ad illius continuationem, ita vt non sit summe sicca.

ALII autem voluerunt vtramq. in summo elementis ineſſe qualitatem, alteram tamen ſecundum prius alteram verò ſecundum poſterius, ita vt frigiditas per prius inſit aquæ per poſterius verò humiditas, & igni per prius caliditas, per poſterius autem ſiccitas. duas paſſiones ſecundum hanc rationem alicui ineſſe abſurdum non eſt, quemadmodum Ariſt. lib. poſt. docuit.

AVERROY in hac materia nõnulli tribuunt quod nequaquã cõſtet, quoniam in 3. cœli 67. vtramq. in ſummo qualitatem igni tribuat, in 4. verò libro Meteo. vnam ſolum, quia ſi vtraq. in ſummo eſſet, non poſſet eſſe actio mutua et paſſio elementorum cum ſecundum ipſam contrarietatem equipolentia eſſent.

HARVM opinionum quas attulimus opus eſt vt iudicium afferamus. Ea enim opinio quæ profitetur, neutram eſſe in ſummo qualitatem vnicuiq. elemento, de igne locum nullum habet, quem in ſua Sphæra ſecundum totum & partes puriſſimum eſſe diximus, in partibus autem terræ, quæ ſunt in centro, etiam locum non habet, quoniam illas puras eſſe, exiſtimandum eſt. Præterea ſi vtraq. in eſſe remiſſo qualitas elementis ineſſet, oporteret aliam formam ab illis reſultare, veluti in miſtis, in quibus elementorum formæ ſunt remiſſe. quod ſi concedant huiuſmodiq. formam grauitatem leuitatem eſſe dicimus, grauitatem & leuitatem ſimpliciter ſequi calorem & frigus in ſummo. Nec poſſunt euitare incommoda ſi præterea dixerint accipere elementa, prout ſunt partes miſti quæ Ariſt. remiſſa ponit, nam etiam elementa hoc pacto accepta inter ſe colata opus eſt qualitatem aliquam in ſummo habere.

SENTENTIA eorum, quæ profitetur vtramq. eſſe in ſummo, ſed alteram ſecundum prius, alteram verò ſecundum poſterius, difficultates patitur: nam poſteriora prioribus ſi conferantur, rationem materiæ habent. igitur ſecundum vtramq. non ageret elementũ quia materiæ proprium non eſt, agere, atq. erit analoga vniuſcuiuſq. elementi definitio, quod quidẽ eſt falſum, Præterea Ariſt. dicta deſtruit, qui cum antea dixiſſet formari elemẽta duabus qualitatibus, quæ ſimul ſtare poſſunt, poſtea determinauit ignem eſſe magis calidi, terram magis ſicci, aquam magis frigidi, aerem verò magis humidi, quod ſi ita ſit, quomodo poteſt vtraq. qualitas in ſummo tribui alicui elemento. Præterea ſi omne elementum in ſummo vtramq. qualitatem haberet, non eſſet aer humidius aqua, nec aqua frigidior terra, nec terra ſiccior igne, quod Ariſt. & veritati repugnat. Nec etiam poteſt hæc opinio defendi, quod ſecundum potentiam ſint in ſummo, non autem ſecundum gradum, quia ignis actio non tribuitur ſiccitati, ſed caliditati, ſimiliter, & alijs elementis, vni tantum qualitati. Præterea facultatis vis ſiue potẽtia gradũ ſequitur, ſi ergo ſecundũ potentiam ſint vtreq. in ſummo, opus eſt vt ſint in gradu. equales & ſi 4. gradus caloris magis agant quam 4. gradus ipſius ſicci, quia ſiccitas ſi conferatur caliditati, dicitur paſſiua, caliditas

ATENEO VENETO BIBLIOTECA

verò actiua. Præterea etiam non potest saluari hæc opinio, si quispiam dicat minime absurdum fore, quod in igne & terra siccitas sit in summo, ita tamen vt maioris potētiæ sit in igne, quàm in terra, quoniā satis est, vt in terra sit ea siccitas quam eius natura requirit, Hoc enim Arist. repugnat, qui magis siccitate terram determinari voluit, quàm ignem ita vt maior sit siccitas terræ quàm ignis.

AVERROYS non temere & si contraria dixerit est reprehendendus. Nam elementa vt partes mistorum cum sint impura omnino, si puris conferantur, quę sunt partes vniuersi, possunt habere vtramq. in esse remisso: pura autem alteram in summo, alteram in esse remisso.

VERIOR tamen sententia ea est, quæ profitetur 4. elementa siue sint partes vniuersi, siue mistorum partes, si inuicem conferantur, alteram tantum habere qualitatem in summo, non autem vtramq. cum 4. qualitatum alie sint actiue, alie passiue, ita vt in igne & aqua actiue sint in summo, in aere & terra passiue, nam si vtraq. in summo esset omnes actiue essent, in elemento alij minime oppositō, at simpliciter accepto. Præterea opus esset vnicuiq. elemento duas primo et per se tribuere actiones, quod sanè est absurdum. Præterea quod ait Arist. hanc sententiam confirmat esse magis sicci terram, ignem calidi, aquam frigidi, aerem vero humidi, non comparatione facta elementorum inter se, sed elementi vniuscuiusq. secūdum suas qualitates, cum antea determinauerit duas vnicuiq. inesse: cum 4. ex omnibus resultent possibiles combinationes.

AD rationes in contrarium allatas non est difficile vt respondeamus.

AD primam nullam esse cōsequentiam dicimus, quoniam qualitates in igne & terra similes non sunt eiusdem rationis: nam siccitas ignis est calida, terræ vero frigida, ita vt si quispiam querat, qualis nam est siccitas ignis, apte respondebit calidam esse, terræ autem siccitatem frigidam: ita vt substantia illarum diuersa sit, quēadmodum est calor viuentis a, calore non viuentis, alterius enim perfectio est anima, alterius autem misti tantum forma.

AD secundam dicimus, etiam si maior igni quàm terræ siccitas insit, iccirco minime sequi, vt in igne siccitas sit in summo, quemadmodum est caliditas, quod etiam de terræ frigiditate dicendum est, si siccitati eius conferatur, quæ illi in summo esse dicitur.

AD tertiam dicimus, illam nihil concludere, in alteratione enim & si primum exsiccatio materiæ contingat, illa tamen absq. calore fieri non potest, calor igitur ignis humorem absumendo cum exsiccet, in summo potius caliditas illi inerit, quàm siccitas: Nec vrget quod obijcitur, verum ignem in materia esse, quæ omni humore caret, quoniam ignis, quicquid agit calore agat,

AD quartam dicimus, nihil aliud adferre, quàm a, siccitate calorem acui, non autem necessarium esse, quòd siccitas in igne sit in summo, veluti caliditas.

DISPVTATIO

DISPVTATIO QVINTA, QVID nam vere forma vniuſcuiuſq. elementi ſit, an ignis calor, an leuitas.

ALIA ſuccedit diſputatio examinanda, cum in elementis preter primam materiam, non ſolum poſſibiles quatuor primarum qualitatum combinationes appareant, ſed etiam grauitas & leuitas, a quibus mouentur, quod nam qualitatum genus propria vniuſcuiuſq. elementi forma eſſe dicatur.

Etenim apud Ariſt. interpretes nondum conſtat, an grauitas & lenitas ſint vere elementorum formæ, an quatuor primæ tangibiles qualitates: Nec caret diſputatio hæc rationibus, quæ in vtramq. partem proponi ſolent. grauitatem autem cum leuitate elementorum formas eſſe; in primis hac ratione oſtenditur. Illud enim cum vniuſcuiuſq. corporis forma eſſe dicatur, quod motus internum eſt principium, grauitas & leuitas ſimplicium motuum in elementis cauſæ ſint, minime dubitandum eſt, huiuſmodi qualitates elemẽtorum proprias formas eſſe. Præterea quod vni accidens eſt, alteri ſubſtantia vt ſit, fieri non poteſt, quatuor primæ qualitates in miſtis corporibus accidentia cum ſint, non erunt in elementis ſubſtantiæ, quod ſi fuerit eorum formæ ſubſtantiales nequaquam erunt. Præterea, quæ per ſe ſub ſenſum tactus cadunt, in genere ſubſtantiarum collocari non debent, cum ſubſtantia ſenſu tactus non percipiatur, primæ quatuor qualitates maxime ſunt ſenſibiles tactu, igitur fieri non poteſt, vt aliqua illarum ſit ſubſtantia, quod ſi fuerit nec forma elementi erit. Præterea ſi primæ quatuor qualitates elementorum formæ eſſent, hoc incõmodum ſequeretur, corpora ſimplicia duabus formis prædita eſſe, quod eſt impoſſibile. non enim ſimplicia corpora eſſent, ſed miſtis ſimilia, in quibus plures formæ eſſe dicuntur. Præterea ſequeretur ad ſubſtantiam per ſe motum eſſe, quod Ariſt. libro 5. phy. part. 10. negauit.

PRO altera parte diſputationis etiam rationes habentur, quarum prima hæc eſt, quoniam grauitatem cum leuitate experiamur cadere ſub ſenſum, quod ſi fuerit, iam ſubſtantiæ non erunt, quæ quidem eſſent, ſi formas elementorum eſſe diceremus. Præterea videtur Ariſt. elementa generare ex prima materia et combinationibus quatuor primarum qualitatum poſſibilibus, non autem ex grauitate & leuitate, minime ergo dubitare oportet, quatuor primas qualitates formas elementorum eſſe. Præterea multis in locis Ariſt. in ordine primarum qualitatum recenſet calorem, frigus, humorem, et ſiccum, in ordine ſecundarum grauitatem, leuitatem, cum raritate, et denſitate, ita vt veluti proprie paſſiones quatuor primas ſequantur, quare potius exiſtimandum eſt, illas formas elementorum eſſe, quàm grauitatem, & leuitatem, mundum præterea inferiorem quatuor primis qualitatibus alterant, non autem grauitate & leuitate, atq. auxilio illarum admixtem mutantur, omniaq. mortalia conſtituunt atq. producunt.

IN hac disputatione duæ sunt opiniones, quas Auerroys in lib. de cœlo defendit, elementa enim prout partes vniuersi sunt, in illis grauitas & leuitas pro forma habentur, prout autem materia eorum quæ generantur, & corrumpuntur esse dicuntur, quatuor primæ qualitates illorum formæ erunt. libro autem Metaphy. 8. com. 8. contendit aduersus Alexandrum, quatuor primas qualitates minime formas substantiales elementorum esse.

GALENVS quatuor primas qualitates elementorum formas esse voluit, nec non & Philopponus ex Arist. sententia, qui in Metaphy. scribit ignem esse ignem, inquantum calidus, non autem inquantum leuis esse dicitur, atq. elementa inter se differre excessu caloris, frigoris, humoris, & sicci, non autem grauitate leuitateq. Præterea cum naturam mistorum quæ ex elementis ortum habent, ex qualitatibus primis proficisci, certissimum sit, profectò illas esse formas elementorum substantiales, putare oportet.

RECENTIORES quidam cum in hac difficultate se expedire non possent. imaginati sunt, elementa ui quadam aduentitia moueri, propterea quòd medij diuisio ad motum elementorum sequatur, quemadmodum docet Arist. lib. 4. phy. pro medij raritate densitateq. motum elementorum celeriorem & tardiorem reddi, iccirco veriorem esse Alexandri sententiam, quam recte minime reprehendit, Auerroys lib. Metaphy. 8. quod tamen nullum in re hac momentum habet.

DIFFICILLIMVM profectò est aliquid in hac disputatione determinare. probabiliorem tamen eam sententiam esse crediderim, quę primas quatuor qualitates elementorum formas esse voluit, si eorum naturam simpliciter consideraverimus, non autē prout a nobis considerantur. Etenim omnia elementa excepto igne, grauitatem cum habeant & omnia leuitatem preter terram, quemadmodum Arist. scribit. lib. 4. cœli part. 29. non potest grauitas aut leuitas alicui elemento propria forma esse, cum forma, alicui propria alteri comunicabilis non sit, Præterea aperte passim primas qualitates formas elementorum facit Arist. non autem grauitatem cum leuitate. quod si motus simplex sequatur grauitatem & leuitatem, nihilominus tamen elementorum non sunt formæ, sed solum principia simplicis motus, quo elementa feruntur, quo tamen nullum illorum moueretur, nisi calor & frigiditas leuitatis grauitatisq. causa essent, hæ enim sunt primæ formæ, quæ corporeitatis formam in materia sequuntur, illas enim inter principia rerum Arist. collocauit, non autem grauitatem cum leuitate. Præterea Arist. lib. 4. cœli grauitatem & leuitatem elementorum differentias nuncupauit, non autem formas & principia, quemadmodum quatuor primas qualitates vocauit. Præterea apud Arist. tres solum compositionis species sunt, quæ quatuor essent, si formas elementorū grauitatē et leuitatē faceremus. quod si etiam grauitatem cum leuitate formas esse velimus cum Auerroy. quatenus partes sunt vniuersi, quæ motu simplici feruntur, minime peccabimus, cum duæ

formæ

formæ in vno eodemq. corpore quæ subordinate sint simul stare valeant, a quibus diuerse actiones proueniant. quod in elementis quę ad rationem composita sunt concedi potest. Vera tamen et principalis forma, quæ cũ materia ad vniuscuiusq. elementi generationem concurrit, sunt quatuor primæ qualitates, ad quas quæ in secundo sunt ordine reducuntur.

AD rationes quæ grauitatem cum leuitate formas potius esse defendunt, facillimum est respondere. Ad primam ergo dicimus grauitatem cum leuitate, & si sint principium motus localis, ob id tamen non esse formas principales elementorum, quia ex illis cum materia prima non generantur.

AD Auerroys rationem dicimus, propositionem illam quod vni est accidens alteri substantia esse non potest, intelligi de substantia perfecta, quæ nec intenditur nec remittitur, non autem de imperfecta, cuius generis sunt quatuor primæ qualitates.

AD tertiam dicimus, fieri posse vt quæ cadunt sub sensum sit substantię, nam per accidens qualitates primæ sentiuntur medio suarum actionum.

AD quartam patet solutio ex his, quæ adnotauimus, minime absurdum esse n vno eodemq. corpore duas formas reperiri quæ inuicẽ sint subordinate, atq. alteram quæ habeat vim formæ, alteram quæ vim differentiæ teneat.

DISPVTATIO SEXTA, QVOD NAM elementum primum frigidorum sit, an aqua, an terra.

DISPVTATIO discutienda proponitur, cum frigiditate aqua & terra conueniant, quod nam dicatur frigiditatem in summo habere, ita vt primum frigidorum esse dicatur, an aqua an verò terra. Non enim caret hæc disputatio rationibus, quæ ad vtramq. partẽ a peripateticis et Medicis afferri solent. Terram enim primum frigidorum esse, hac ratione ostenditur, si enim contrarietas in extremis magis est sensibilis, quàm in medijs, vt passim scribit Arist. terra autem sit alterum mundi extremum, cum in centro maneat, ignis autem in concauo orbis Lunæ, cum ignis sit primum calidorum, necessarium est, vt terra primum frigidorum esse dicatur. Præterea terra cum magis a cœlo, quod hæc inferiora lumine & motu calefacit, remota sit quàm aqua, illam aqua frigidiorem esse, putandum est, & ex consequenti primum frigidorum esse. Præterea videtur Arist. lib. 1. Meteo. terram primum frigidorum facere, cum ait, circa medium est grauissimum & frigidissimũ, terram enim cum sit in centro Mundi grauissimum esse constat, si ergo grauissimo frigidissimum tribuit, erit procul dubio terra primum frigidorum.

AQVAM autẽ frigidissimũ esse, multis rationibus ostẽditur, quarũ prima est. Arist. qui li. 2. Metaꝑ. part. 4. scribit, quod est primũ tale, est maxime tale quod si verum est, quod erit maxime tale erit primum tale, aqua autem maxime frigi-

da est,

da est, cum maiorem vim refrigerandi quàm terra habeat, igitur existimandum est, illam primum frigidorum esse. Præterea a calore cœlesti non ita calefit quemadmodum terra, magis enim calor in materia terrena accēditur, quàm in aquea. ita vt existimandum sit, aquam maiori frigore terra participare. Præterea si verum est, id quod maiorem inuehit sensum frigiditatis, frigidius esse, vt scribit Arist. lib. 2. de partib. animalium, minime hesitandum est, aquam terra frigidiorem fore. Præterea cum videamus metalla quæ humore aqueo constant, ex eoq. generantur, frigidiora esse his, quæ ex terrena materia producuntur, existimandum profectò est, aquam primum frigidorum esse, non autem terram. cristallus enim & glacies, quæ nihil aliud sunt quàm aqua congelata, summam frigiditatem habent, & ea quæ multo humore aqueo abundant, vt fructus immaturi, cicuta & cætera quæ calorem animalium extinguunt.

HAE enim sunt rationes, quæ in vtramq. disputationis partem habentur, propter quas varias sententias Philosophi cum Medicis commenti sunt. Aliqui enim vt se expedirent ab hoc negocio, dixerunt. duplicem frigiditatem quemadmodum caliditatem reperiri, alteram cœlestem, alteram verò elementarem, cœlesti autem calore cum minus terra participet, iccirco frigidiorem aqua esse, at non frigiditate propria eaq. elementari, sed externa, eaq. cœlesti. quæ resolutio parum hūic disputationi accomodata est, cum de propria & interna frigiditate, quæ principium est generationis elementorum loquutus fuerit Arist. quo loci magis frigidi aquam esse voluit. Præterea disputatio tota versatur vt elementorum in sua puritate naturam queramus, quæ ratione ipsa potius quàm renera comprehenditur, impura enim calorem aut frigus externum habēt, pura autem solum proprium atq. internum. ita vt non sit opus vtrumq. genus frigoris aut caloris introducere.

ALII dixerunt, aliquid calidius aut frigidius esse, duobus modis contingere, effectiue & formaliter, atq. terram formaliter frigidiorem esse, effectiue autem aquam, quemadmodum ex Galeno colligitur lib. 5. de simplicibus medicamentis, vbi scribit acetum magis infrigidare quàm omphacium, & si omphacium illo frigidius sit, acetum enim tenuium partium cum sit, maiorem vim penetrandi habet, quare effectiue frigidius est omphacio, non autem formaliter, quod dictum nullum in hac disputatione momentum habet, cum de facultate, quę per se est non autem accidentaria, disputatio hæc locum habeat. atq. id potius in mistis corporibus quàm in simplicibus veritatem habeat,

AVICENNAS autem existimauit terram omnino aqua frigidiorem esse, ita vt cum Arist. scribit aquam magis frigidi esse, non intelligatur comparatione facta ad frigiditatem terræ, sed ad humiditatem aquæ, quæ opinio nullo pacto Arist. accommodari potest, quoniam certissimum sit eo in loco Arist. discrimen facere inter elementa, cum inter ea quędam sint, quæ simbolas qualitates habent. conuenit enim terra cum igne siccitate, cum aqua frigiditate, aer

cum

cum igne caliditate, cum aqua verò humiditate.

CVM autem aliæ opiniones difficultates habeant, operepretium est, vt eam opinionem sequamur, quæ aquam primum frigidorum esse, profitetur, cum illa magis frigidi sit, quàm humidi, alijs elementis si conferatur, quibus etiam vna qualitas in summo debetur: Etenim philosophi elementa simpliciter, non autem animalium corporibus collata, atq. vt vim illa immutandi habent, contemplantur, ita vt aquæ naturam qualis nam sit, si quispiam considerauerit, illam primum frigidorum per se esse, existimandum sit, quod etiam alteratio quam corporibus inducit, satis ostendit, cum maiorem refrigerandi vim habeat, quàm terra. Præterea si caliditatem externam spectemus, cum illa maior in terra appareat, quia ab illa aquæ calidæ, ignesq. erumpant, non autem ab aqua, profectò aquam terra frigidiorem esse, putãdum erit. Siccitas enim terræ calorem auget, humiditas vero aquæ illum obtundit. Præterea magis imprimitur calor cœlestis in terra, quàm in aqua, quia magis in terra radij reflectuntur, nec fluit continuo veluti partis aquæ, quæ non ita incalescunt, atq. cum aquæ terris sint vndiq. commiste, non magis terra distat a cœlo, quàm aqua sed equaliter, ita vt quę obiecimus, nullius momenti esse dicantur. Nec terræ etiam si extremum sit, summa frigiditas est tribuenda, quia duplex in elementis est contrarietas, altera secundum motus, altera secundum qualitates eorum actiuas atq. passiuas, secundum priorem contrarietatem, extrema quidem sunt ignis & terra, quorum alterum est leue simpliciter, alterũ verò graue simpliciter, inter quæ mediũ locum aer et aqua obtinuerunt, quorum alterum est secundum quid leue, alterum verò secundum quid graue. Necessarium enim fuit in vniuersi fabrica, vt secundum motus collocarentur elemẽta, aliter autem respectu suarum qualitatum, quibus rerum omnium generationem cum cœlesti corpore faciunt. melius enim fuit aquam terra viciniorem esse cœlo, vt illius summa frigiditas temperaretur, nec non vt humor illius aptior redderetur ad semina rerum. cum humor in generatione rationem materię habeat, calor autem efficientis, ita vt ex his iam soluta sit ea ratio, quam priore loco adduximus.

SECVNDA ratio facillime diluitur, cum illa de externa accidentariaq. frigiditate locum habeat, quam hoc loco minime consideramus. Ad rationem quæ auctoritate nititur Arist. dicimus Arist. lib. 1. Meteo. non solum terram sed aquam intelligere, ita vt in medio sit grauissimum quod est terra, & frigidissimum quod quidem aqua est, quemadmodum ex his quæ statim subiungit, colligitur, cum ait segregatum terra & aqua. Circa hæc autem his a tigua aer & quod ignem vocamus.

DISPVTATIO

DISPVTATIO SEPTIMA, QVOD NAM primum humidorum sit, an aer an aqua, quæ in humore conueniunt.

DISPVTATIO proponitur, quod nam elementorum primum humidorum sit, an aer an aqua: Nam cum videatur aqua animalium corpora magis humectare, existimabit fortassis aliquis, primum humidorum aerem non esse. Præterea cum aerem ab humoribus aqueis humectari contingat, qui a Sole eleuantur, videbitur proculdubio aer magis humidus esse. aqua, & ex consequenti primum humidorum esse. Præterea rem ita se habere Auster indicat, qui in nostra regione valde humectat, cum Mediterraneum Mare pertranseat, a quo humectandi vim maximam acquirit, quemadmodum Arist. in lib. Meteo. scribit. Præterea hiemem qui aquæ naturam refert, maiori humiditate præditum vere esse patet, quod aeri simile existit, erit igitur primum humidorum aqua non autem aer. Præterea aer cum vim exsiccandi habeat, aqua autem nullo modo exsicet, minime dubitandum est, aquam magis humectare, & ex consequenti primum humidorum esse.

IN contrarium non desunt rationes, quæ veritatem ab Arist. propositam confirmant. In primis enim cum aere maxime ignem nutriri necessarium sit, plurimo humore illum abundare oportet, non enim sufficeret pro nutritione illius, si modico humore præditus esset. Præterea spiritus quodammodo aere nutriuntur, quod minime contingeret, si humore plurimo non abundaret, nec non odores & sapores suscipere & retinere. nec illos in eo sentirent animalia.

IN hac disputatione duæ sunt opiniones, quarum alterã peripatetici, alteram Medici sequuntur, vtraq. tamen defendi potest, quoniam Medici naturam elementorum exquirunt, quatenus ad corpora humana relationem habent, non autem simpliciter, quemadmodum mos est Philosophorum. nimirum igitur si Galenus in lib. de temperam. dixerit, non esse possibile aliquod animal reperire, summæ humiditatis sicuti est aqua.

IN via tamen peripatetica, maiorem humiditatẽ aer obtinuit, quàm aqua, quare primum humidorũ proculdubio erit, aliud enim est dicere corpus aliquod humidum esse, aliud vero humectatiuum, plurimum enim hæc inter se differunt, quemadmodum tradit Arist. lib. 4. operis meteorologici. aqua enim magis quidem humectat, aere non tamen magis illo humida existit, quod humidi natura indicat: nam cum terminetur termino alieno, illa corpora humidiora erunt, quæ magis alieno termino terminantur, at aer aquæ si conferatur hoc habet, vt proprio termino difficilius terminetur post. imbres super foliis plantarũ gutas aquæ permanere atq. ad motum discurrere videmus, quod aeri qui facile dissilijt minime accidit. Aqua ergo magis humectat, quia crassiores partes cum habeat, magis meatus corporis replet quàm aer, qui substantiam tenuiorem obtinuit, similiter

militer aqua calida magis corpora calefacit, & comburit, quàm aer calidissimus, ob partium crassitiem ita vt facillimum sit, rationes in contrarium allatas diluere, quare alie accidentalem humorem aquæ maiorem ineſſe oſtendunt, alie autem magis humectatiuam fore, non autem magis humidam, quàm ſit aer. Dicendum ergo eſt aerem primum humidorum eſſe, illiq. coniunctam caliditatem eſſe, nec frigidum fore, veluti Cardanus in lib. ſuo de elementis ſcribit, nam per accidens aer frigiditatem, veluti ſiccitatem admittit, atq. tantum corpori noſtro quod temperatiſſimum eſt collatum, frigiditatem quandam habere videtur, per ſe autem atq. ſimpliciter nullo modo frigidus aer dici debet. Nam ſi aer frigidus eſt, quare non gelaſcit vt aqua, atq. cur facillime putreſcit, ita vt peſtilẽtię eueniant, quæ enim frigidiora ſunt putredini reſiſtunt. Nec præterea verum eſt, quod Cardanus ſubiungit, iccirco aerem nullo calore proprio præditum fore, quoniam nemo mortalium de illius calore conqueratur, quemadmodum de frigore, impoſſibile enim eſſet, illum ad tantam frigiditatem mutari, abſq. ſuæ ſubſtantiæ corruptione, ſi ſuapte natura calidus eſſet. quod ſi calidus videatur hoc accidit, quoniam a luce temperatur, atq. ob raritatem eius, quæ quidem facile mutatur. a, quibus ſi non mutaretur, vbiq. frigidus appareret, quemadmodum noctu etiam in calidiſſima regione apparet, atq. ſub vrſa & montium cacuminibus, in quibus a, Solis radijs minime incaleſcit. Nec Cardani fundamenta nihil concludunt, cum aer ſuapte natura cęterisq. elementis colatus minime frigidior ſit aqua, & terra, nec ſimpliciter acceptus frigidus, ſed ſolum ſi corpori humano conferatur, atq. per accidens, vt ſcribitur a, Galeno in lib. de temperamentis. Nec neceſſarium eſt aerem corrũpi, cum incaleſcit, quia hoc alteratio ſolum eſt, in qua id quod alteratur ſecundum ſubſtantiam minime mutatur ſed ſolum ſecundum qualitates. Niſi calor aeri ineſſet, mirum eſset quomodo nam in frigidioribus etiam regionibus animalia generentur, atq. vitam longeuam agunt. ſolus enim cœleſtis calor hoc preſtare non poſſet, cum in talibus regionibus exiguus ſit, vtrumq. enim calorem in viuentibus eſſe, dubium non eſt, ita vt cœleſtis ſolus non inſit, quemadmodum Cardanus ex priori errore deducit, qui in aliud cecidit erratum, nullum ignem in concauo orbis Lunæ eſſe, ſed ſolum æthera quod ſibi tribuit, & ſi antiqua fuerit hęc opinio, in quam ipſe adductus eſt, in primis a, loco Ariſt. lib. 1. meteo. cap. 4. vbi ſcribit, grauiſſimum igitur corpus & frigidiſſimum terra, inquam et aqua, in medio & circa medium ſegregata exiſtunt, circa quæ illa quoq. ſunt, quæ hiſce herent, aer atq. id quod quamuis ignem aſſueuimus appellare, ignis tamen non eſt, ſiquidem ignis caloris exuperantia ac veluti feruor exiſtit, quod ſane dictum minime ignem ab ordine elementorum tollit, ſed ignis partem quæ concauo orbis Lunæ heret, ob ſui puritatem & motum velociorem æthera potius quàm ignem vocari, quo nomine Anaxagoras cœlum vocabat tanquam nulli eorum quę ſunt apud nos exiſtens idem: Etenim ignem dari atq. in concauo orbis Lunę vel in regione ſupra aerem reperiri, in capitibus

precedentibus aperte docuit Arist. secundi capitis initio hæc scribit, quatuor autem existentibus his igne, aere, aqua, & terra, omnibus quidem supereminens esse ignem, substans autem terram, duo autem, quæ ad ipsa his proportionaliter se habent, aer enim igni est propinquior, quam alia, aqua autem terræ. Præterea in fine tertij capitis eos damnat, qui intermedium igne solum aut aere plenum esse putabant, ita vt igne & aere superiorem regionem plenam esse concludat, quare ex Arist. opinione, ignis non est negandus, sed ignem ob sui puritatem & motum raptus velociorem æthera nuncupari. alijs elementis si conferatur, aut partem illius cælo proximiorem. si alijs partibus ignis conferatur, quæ aeri sunt proximiores. Præterea cap. 4. nonne agit de ordine aeris et ignis ad cælum, quid ergo est quod coegit Cardanum ex Arist. sententia ignem negare.

RATIONES præterea adiungit, vt suam sententiam probet, in primis autem non esse rationi consentaneum, naturam ignem omnium corporum ardentissimum sub cælo collocasse. quæ ratio quam ridicula sit, iudicent philosophię tirones, nam cælum cum sit impassibile, quid illi ignis nocere poterit, præterea elementa ad vniuersi constitutionem locum & ordinem a grauitate et leuitate obtinuerunt, non autem a primis eorum qualitatibus actiuis atq. passiuis. imo melius fuit, ignem sub cælo collocari, vt puritatem maximam seruaret, atq. cælestis & vitalis redderetur, nisi talis seruaretur, nihil ex eo vitale produceretur, nec tam prestantes animalia operationes exercerent. mirum enim non est Cardanum veterem opinionem reuocasse, cum infinities easdem opiniones in hominibus factas esse atq. reuerti experiamur, quod prestare nostræ etatis, aliqui summopere delectantur, nulla ratione habita de tantis philosophis, Platone, Arist. Hipp. & Galeno, qui quatuor elementa esse demonstrarunt, quos si sequuti essent, maiorem sibi apud doctos viros famam & gloriam facile comparassent.

DISPVTATIO OCTAVA, AN FACILIOR sit eorum elementorum mutatio quæ simbolas qualitates habent quàm cæterorum.

DISPVTATIO succedit tractanda, quomodo nàm verum sit, mutationem vnius elementi in alterum faciliorem esse in illis, quæ in aliquo communicant, quàm in alijs, quæ secundum vtrasq. qualitates opponũtur. Nam facilior videtur generatio ignis ex aqua, quàm ex terra, terra enim cum sit densissima, non potest in vaporem mutari, quemadmodum aqua, ex quo superaccenso flamma generatur. Præterea ignis facilius in aqua extinguitur quàm in terra, igitur videtur quod quę maxime opponuntur, facilius in mutuem mutentur. Præterea in his quæ simbolum habent, si facilior esset vnius in alterum mutatio, fieri posset, vt ex viuente immediate viuens fieret, at contrarium experimur, quia ex animalibus mortuis generantur animalia per putredinem & ex excrementis in viuentibus, quæ viuere minime dicuntur, igitur relinquitur non esse veram sententiam

sententiam propositam. Præterea experimur in media regione aeris, in qua est summa frigiditas, ignem generari, igitur si vbi est maior contrarietas facilior est contrarij generatio, fieri potertt, vt eorum quæ maiori contrarietate prędita sunt, facilior sit vnius in alterum mutatio. Pro veritate sunt etiam rationes, quarum prima est. Nullam fieri actionem nisi id quod patitur vim conferat, cum ergo patiens in habentibus symbolum magis vim conferat, atq. facilius agẽtis actionem admittat, dicendum est faciliorem esse transitum in similibus, quàm in his quæ omnino sunt dissimilia. Præterea cum sit facilius vnum quàm plura mutare, quia in vno minor contrarietas appareat, nulli dubium esse potest, elementorum quæ in altera qualitate comunicant, faciliorem adinuicem mutationem esse. Præterea videmus paleas & ligna siccissima facilius ignem in sui naturam conuertere, quàm humida plurimoq. humore prędita, nec non oleo magis pabulari et pinguedine, quæ aerea sunt, quàm aqua & alijs, quæ ad terræ naturam accedunt igitur relinquitur, faciliorem esse mutationem eorum, quæ in altera qualitate comunicant. Præterea in Scotia ignem ex terra quadam domi parant, ex aqua autem nullibi ignis ad vsum fieri potest. Præterea vbi minor resistentia ibi facilior est mutatio, in habentibus symbolum cum minor adsit cõtrarietas, minor erit resistentia, igitur facilior illorum erit mutatio. Præterea cum omnem generationem alteratio antecedat, quæ minori indigent alteratione, facilius mutabuntur, cum ergo habens symbolum minori egeat alteratione, vt in aliud elementum mutetur, facilior erit illius mutatio.

VT Arist. sententia firma maneat, & tollantur dubitationes aduersus eam allate, quędam ponere oportet, primum de simplicibus corporibus tantum, quæ dicta sunt, locum habere, non autem de mistis, aut animatis, aut inanimatis. Deinde verò vnum elementorum in alterum facilius mutari, vel a, qualitatibus actiuis, vel passiuis, vel ab ipsa resistẽtia desumi, quæ densitatem, raritatem, duritiem, mollitiem, corporum, & alia huiusmodi concomitatur; quibus hunc in modum cõstitutis. Duas theses in hac materia veras ponimus. Alterã, non habẽtia symbolum ex parte potentiarũ actiuarũ facilius mutari adinuicem, nisi ex parte passiuarum aut aliarum qualitatum impedimentum suscipiant, quia in actione elementorum, quæ in nulla qualitate comunicãt, duæ sunt potentiæ actiuæ, in alijs autem, quæ in altera qualitate conueniunt, vna solum actiua existit. altera autẽ quæ succedit est, in habentibus symbolum, ex parte resistentię facilior est mutatio, quia in eis vna tantum est qualitas, quæ resistat, vt in aere humor, in quem siccitas caliditasq. ignis agunt: Etenim veritas harum conclusionem adhuc magis aperta euadet, nec non rationum dissolutio habebitur, si illud pro indubitato recipiamus. Quatuor primarum qualitatum cum calor & frigus sint magis actiuę, humor et siccitas magis passiuę existant, minorem secum habere resistentiam actiuas, maiorem autem passiuas, quare mirum non est si velocius ex aqua generetur ignis, quàm ex terra. Præterea raritas & densitas corporis cooperantur,

& contra operantur, rara enim ab igne facillime patiuntur, densa verò difficillime, vnde mirum esse non debet, si velocior appareat generatio ignis ex aqua, quæ in nulla qualitate cum illo comunicat, quam ex terra. Rationes igitur allate de velocitate veritatem quidem habent, non autem de alijs modis, secundum quos, dubium non est, faciliorem adinuicem esse mutationem eorum, quæ in altera comunicant, qualitate, nam aer facilius aqua in ignem mutatur, et terra, quod si terram in ignem difficilius aqua mutari contingat, hoc est ratione resistentie, & densitatis illius.

DISPVTATIO NONA, AN EX DVOBUS elementis extremis medium possit generari.

DISPVTATIO proponitur, quomodonam fieri possit, vt ex duobus elementis omnino contrarijs, quemadmodum sunt ignis & aqua, vt vnum quodam tertium elementum producatur, vt terra. Nam omne quod generatur cum sibi simili generetur, potius ignem aut aquam aut horũ medium, hæc duo elementa facient quam aliud ab eis omnino diuersum. Præterea si ex igne & aqua terra generari potest, opus erit condensationem fieri ab igne, quod quidem videtur impossibile, cum ignis potius rare faciendi facultatem habeat. Præterea in hac generatione certum est, quòd ignis & aqua agunt ignis calore, aqua verò frigore, Si ergo ignis aquæ frigus corrumpit, & aquæ frigus ignis calorem, non poterit ex illis etiam aer produci, cum nulla adsit caliditas, nec terra, cum nulla remaneat frigiditas. Pro veritate sunt rationes. Nam certum est, in actione & passione duorum elementorum, quæ penitus opponantur, cum semper presens sit prima materia, opus esse, vt altera qualitatum actiuarum, alterani corrumpat, si ergo frigiditas aquæ caliditatem ignis superauerit, et cum ea iungatur siccitas, terra ex combinatione harum qualitatum cum prima materia resultabit, si autem caliditas vicerit frigiditatem, illiq. humor copuletur, aer producetur. Præterea ignis non solum habet vim rarefaciendi, sed etiam condensandi, cogit enim humori absumptione corpora mollia, & indurat, veluti ferrum lateres et alia, igitur absumptione humoris ab aqua, relicta frigiditate illius, quæ calorem ignis absumit, relicta illius siccitate, necessarium est ex illis & prima materia terram oriri. Præterea cum frigiditas aquæ remanet illa est, quæ condensationem efficit, ita vt terræ corpus fieri possit.

VERA ergo & firma manent quæ Arist. docuit, ex duobus elementis penitus oppositis alterũ omnino diuersum generari, nam cum vnumquodq. elementum duabus qualitatibus præditum sit, si altera in vtroq. elemento corrumpatur, in altero quidem actiua, in altero passiua, ex duabus qualitatibus permanentibus quarum altera sit actiua, altera verò passiua, necessarium est vnum elementum produci, non autem medium, quod vtriusq. naturam referat, aut mistum, in

quo

quo omnes qualitates concurrere debent.

AD rationes quæ in contrarium allatæ fuerunt, non est difficile occurrere, prima enim ratio veritatem habet de agente, at non generatur vnum elemẽtum ex altero, tanquam a generante, sed ex altero elemento vt ex materia vel vt ex contrario, vt cum dicimus ex non homine fieri hominem.

AD alteram dicimus, ignem non solum rarefacere sed densare, cum humorem absumat, atq. remanere frigiditatem aquæ, quæ congelando siue humorem exprimendo, densare potest.

AD tertiam dicimus, vnam tãtum actiuarum corrumpi, non autem vtrasq. quare fieri potest, vt cum altera passiua terra, ex igne & aqua producatur.

DISPVTATIO POSTREMA DE resurrectione, siue reditu secundum numerum mortalium corporum post eorum interitum.

ET si mihi de reditu mortalium, vel de resurrectione humani corporis, disputandum nequaquam foret, cum CHRISTVS, qui resurrexit, humani generis reditum secundum numerum indicauerit, quod catholici & fideles credunt, nihilominus tamen, ne aliquid intactum videatur.

DISPVTATIO proponitur, an sit possibile, quod hæc mortalia resurrectione, aut alio modo, post interitum, eadem numero redeant: Non enim res hæc ratione caret, siquidem plurimæ sint rationes, quæ in vtramq. disputationis partem afferri solent, quarum ego potissimas recensebo.

IN primis, qui hunc reditum mortalium oppugnant, hac vtuntur ratione. Ad præteritum cum non sit potentia, omne autem corruptum, præteritum sit, fieri nõ poterit, vt aliquãdo producatur, quoniam quod caret potestate, vt fiat, nunquam fieri poterit. Præterea a, priuatione ad habitum regressus est impossibilis, ex Arist. sententia, homo enim si cæcus euadat, videndi facultatem minime recuperabit, similiter acetum quod est vinum corruptum, in vinum mutari non potest, quemadmodum in Metaphy. & in fine 2. lib. de ortu & interitu scribit Arist. Præterea si daretur hic reditus, mortalium, secundũ numerum, sequeretur eundem numero esse motum, qui fit post quietem cum eo, qui ipsam quietem præcessit, quod tamen negat Arist. Metaphy. 5. Præterea ea quorum esse est diuisum, impossibile est vt eadem numero redeant, sed rerum quæ semel interiere esse diuisum est, non autem continuum, quia inter vtrumq. esse, cadit non esse, igitur impossibile est, vt eadem numero redeant. Præterea omne agens naturale cum per motum agat, motus autem interceptus idem numero nunquam redeat, fieri non potest, vt ea quæ per motum producuntur, eadem numero redeant. Præterea agens naturale cum per formam agat, quoniam sibi simile semper producit, forma verò in corruptione nequaquam maneat, non poterit aliquid

idem numero ab ipso agente produci, quæ semel interierit. Præterea hic reditus si daretur sanitas læsa eadem numero a, Medico naturaq. restitueretur, quod ex sententia Arist. & Medicorum impossibile est, igitur multo minus corporum erit, quorum nihil post corruptionem manet. Præterea hoc solum priuari dicitur Deus, quòd preterita quin fuerint, facere non valeat, vt scribit Arist. 6. Eth. ex sententia Agathonis, igitur quin mortalia corrupta sint, facere non poterit, quod si ita sit, eadem numero nunquam redibunt. cum preterita Deus quin preterierint, facere nequeat. Pro altera parte problematis preter sacræ Scripturæ testimonium varie rationes a, Theologis nostris in medium afferri solent, quarum prima hæc est; cum eedem numero causæ maneant, cœlum, materia prima, & quatuor elementa, non videtur impossibile, quòd idem effectus numero iterum ab illis fieri possit, cum easdem causas ijdem effectus sequi videantur. Præterea experimur, in similitudine sine figura, moribus, & temperamento nepotes auos referre et maiores, ita vt redisse videantur. Præterea natura cum semper id, quod melius est intendat, melius autem sit mortalibus secundum numerum, quam secundum speciem esse, reditus hic negari non debet. Præterea natura si plura arte prestare debeat, quæ illam immitari studet, ars verò eadem numero restituat, quoniam statuam Mercurij ex ære corruptam eandem restituat, videbitur etiam natura illud efficere. Præterea narrant Phœnicem vnam esse atq. se ipsam renouare, ita vt eadem numero Phœnix semper redeat. Similiter vermes, qui sericum faciunt, videntur redire in fine veris, qui tamen antea mortui fuerant. Præterea nisi hic reditus hominum daretur, cum animæ illorum sint immortales, sequeretur dari aliquod violentum perpetuum, propterea quòd animæ æterno tempore a, corporibus solute manerent, ad quæ inclinationem semper habent. Præterea sublato reditu hominum post mortem, sequetur illos post mortem proprio fine frustrari, quia nunquam beatitudine fruerentur, similiter tolleretur premium bonorum & pœna malorum, ita vt frustra pietatem religionemq. homines colerent. Auctoritates quę afferri solent, & fundamenta recensebimus cum sententias in hac disputatione proponemus.

VARIE in hac disputatione Theologorum & Philosophorum opiniones, extiterunt: Nam alij omnino reditum hunc fieri posse negarunt. Alij autem animarum solum reditum esse voluerunt, alij verò non solum animarum, sed etiam corporum, atq. varios modos introduxerunt, quibus hic reditus contingere potest,

IN primis tres cum essent apud Hebręos Philosophorum sectæ, prima eorum, qui Pharisei vocabantur, altera eorum, qui Saducei, tertia verò illorum, qui Essenij nuncupabantur. Pharisei animorum immortalitatem profitebantur, atq. solum bonorum animas in alia corpora migrare, malorum autem perpetuis supplicijs cruciari, omniaq. fato & Deo tribuebant. Saducei fatum omnino negabant, atq. bonum & malum in electione hominum positum esse affirmabant,

animarum

animarum autem generaliter vel supplicia vel honores negant. Essenij autem corruptibilia quidem fore corpora, materiamq. illorum non esse perpetuam tenebant, animas autem immortales semper manere, atq. corporibus solutas, si bene fuerint, vltra Oceanum degere, in regione in qua, neq. imbribus, neq. æstibus aggrauarentur, si autem male procelosa & hiberna loca inhabitare, plena genitibus exercendarum sine fine pœnarum, quod Græci profitebantur, qui Heroas & Semideos beatorum insulas habitare voluerunt, improborum autem animas apud inferos manere.

PHARISEI igitur solum nisi sunt, hunc reditum secundum numerum respectu animarum cõcedere. Saducei illum omnino negarũt, cum CHRISTO historiam obbicerent mulieris septem viros habentis. Essenij similiter reditum animarum negarunt.

PYTAGORAE tribuitur, quòd animarum reditum concesserit, cum in brutorum corpora migrare diceret.

EX schola hæreticorum, aliqui opinati sunt, animarum solum reditum possibilem esse, non item corporum; Philetus enim Himeneus, et Origenes, carnis resurrectionem negarunt, solumq. spiritalem animarũ dari, atq. CHRISTVM ex gratia speciali & ratione suæ diuinitatis tertia die a mortuis resurrexisse, nam carnis resurrectionem inquit Origenes negat Paulus, primę ad Corinth. 15. cum ait caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.

MARTION, Apeles, Valentinus, carnis phantasticam & putatiuam resurrectionem futuram dixerunt, frustraq. nos ad exemplum Domini nostri IESV Christi redituros, cum ipse quoq. dominus in phantasmate resurrexerit.

ALII autem vt Ioannes hereticus, & Rufinus putant, fieri non posse, vt eádem corpora in antiquam speciem redeant, imo ex toto non posse aliquando esse, quod antea fuerant, at genus aliud corporis resurgere, quod nec tactus nec sensus sentiet.

PLATO in Phędone & alibi, reditum non solum animarum, sed etiam corporum fieri voluit, inquit enim animas humanas immortales fore, minime dubitandum esse. quoniam improbi in morte lucrum facerent, ducitur itaq. vnaqueq. anima ad iudicium ab eo dęmone, quẽ in vita sortita fuerat, post iudicium, ab alio quodam duce rursus huc reduci, post multos temporis longosq. circuitus atq. hunc reditum fieri voluit in magno anno, qui singulis sex milibus & triginta annis redibit, eo videlicet tempore, quo cœlum stelatum suum compleuerit circulum, mouetur enim singulis centenis annis parte vna, at cum in tercentum sexaginta sex partes diuidatur, si ille per centum multiplicentur, terminabitur tota illius reuolutio spatio sex & triginta millium annorum, ita vt cum eedem causæ redeant, necessarium sit, eosdem numero effectus etiam redire, quod in primis a Mercurio Trismegisto traditum fuisse videtur.

Plotinus

PLOTINVS Platonicus hunc corporis & animæ reditum admittit: Nam lib. 5. suæ Aeneadis, inquit, cum finita sint ea, quæ generantur, nec non finitus sit idearum numerus, necessarium est, in magno anno fieri reditum eorum, quæ antea fuerunt, ne res ipse deficiant, nisi hoc fieret, sequeretur, infinitum dari rerum quę fieri debent numerum, cuius sententiæ primum auctor Zoroaster fuit, ferunt Democritum hunc reditum corporum & animarum predicasse, cum corpora seruari iuberet, vt animę illis iterum iungerentur.

THEOLOGI & fidei catholicæ Doctores, reditum corporum et animarum per resurrectionem futuram in nouissimo die credunt, & prędicant, atq. omnes homines in ætate florente resurrecturos, vt boni in ęternum in patria Dei benedicti visione fruantur, mali autem pœnis & supplicijs plectantur. Quod Iob testatus est, qui dixit, scio quia in nouissimo die resurgam, & videbo dominum Deum meum in carne mea, quod Paulus etiam prædicauit, vana enim fuisset CHRISTI resurrectio, nisi resurgeremus, atq. si mortuorum resurrectio non est, nec CHRISTVS resurrexit 2. ad Corinthios cap. 5. Vnde Augustinus absit, vt ad resuscitanda corpora vitæq. restituenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia reuocare.

EPICVREI & Stoici Paulo Athenis prædicante, & Fæstus quidã Philosophus, resurrectionem omnino negarunt, Paulum increpantes. Illam Plinius etiam negat, qui libro 7. suæ naturalis hist. cap. 56. scribit, resurrectionem corporum vanitatem esse, & comentum a Democrito promissum de asseruandis corporibus.

ARISTOTELES peripateticæ disciplinæ princeps, cum solius naturæ vim & operationes admiraretur, hunc reditum mortalium secundum numerum nullo modo fieri posse negauit, quem Peripatetici omnes insequuntur, cuius sententiæ fundamenta & rationes iam attulimus, ita vt minime sit opus, aliquas hac loco adiungere.

VARIIS in hac materia sententijs allatis, operepretium est, vt de illis iudicium faciamus, atq. vt determinemus, an via naturali, an vero solum miraculosa, sit possibilis reditus humani corporis: non enim ex Theologis desunt, qui resurrectionem naturaliter fieri nequaquam posse contendunt, cum peripateticis, sed solum miraculose, ob potentiam & virtutem Dei immensam & infinitam.

OPINIO igitur Phariseorum, quam primo loco recitauimus, nullo pacto admitti debet, non enim videtur rationabile, quod animę beatorum iterum in alia corpora descendant, quoniam priuarentur beatitudine sua, imo potius est dicendum animas malas in corpora migrare, vt continuis laboribus et curis torquerentur, atq. in illis tanquam in propryis carceribus detinerentur. Præterea si concedunt pœnam, etiam fœlicitatem concedere opus est, ne videantur animæ bonæ præmio carere.

Opinio

OPINIO Pytagoræ fabula est, nec videtur digna Philosophi, quid enim deterius animæ humanæ, quæ sola diuina est & immortalis, contingere potest quàm brutorum corporibus copulari.

HAERETICORVM opiniones catholici Doctores satis euerterunt, præsertim Thomas in lib. ad Gentiles, ita vt nullo pacto sint digne homine Christiano, cum carnis resurrectionem Apostoli prædicarint, & vere CHRISTVS resurrexerit, non autem in phantasmate veluti apparens Apostolis indicauit, cum fauum melis panemq. comedit Thomeq. incredulitatem exprobauit, quod si dicatur in Scripturis caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, hoc de homine qui secundum carnem non autem secundum spiritum viuit est, intelligendum.

OPINIO Platonis difficultates habet, Nam cum de mẽte illius anima in corpore veluti in quodam obscuro carcere detineatur, nihilq. aliud magis appetat, quàm ab eo separari, nunquam beata esset, cum semper expectaret iterum in carcerem detrudi. Præterea mirum est, cum scire nostrum secũdum Platonem sit quodam reminisci, quomodo iam nemo inuentus sit, qui se aliquando hic fuisse reminiscatur. Præterea si in fine magni anni nulla erunt animalia, per generationem minime redibunt omnia, nisi creationem iterum introducamus, quod Plato non admittit, quo nam igitur modo producentur, cum alia non detur productio, præter, illam quæ fit per generationem aut creationem. Nec potest in causas vniuersales & ideas hoc referre, cum ab vniuersalibus causis nihil nouum & singulare immediate producatur, Ideæ autem nihil ad rerum generationem conferre dicantur.

PLOTINI opinio, etiam non caret calumnia, in primis enim sequeretur, corpora perfectionem animarum esse, non autem animas corporum, quod est absurdum, cum id quod nobilius est, semper rationem formæ habeat. Præterea si æterno tempore in hac vita mortali cum corporibus animas manere contingeret, valde infœlices essent cum semper a phantasia dependerent, nec in mentes mutarẽtur. Nec dicere potest Plotinus, nisi redeant, defuturam esse generationem, quoniam potestate infinita sunt, quæ generantur, numquamq. generatio terminabitur data Mundi æternitate. circulo enim perpetuabitur, vt hæc mortalia æternitate gaudeant. Nec sequitur infinitum dari. Idearum numerum, quoniam Ideę in mente diuina sunt vniuersalia, quædam & finita, similiter separata quædam vniuersalia finita secundum Platonem.

THEOLOGORVM opinio & si catholica sit, in via tamen naturali impossibile est, illam saluare, solum enim resurrectio mortuorum ab omnipotentia Dei, quæ supra naturam agit procedere potest, non autem a natura quæ nihil absq. motu producit: Etenim si naturalis esset, non nisi in tempore fieret, & cum motu, atq. fieri non posset vt bonorum corpora gloriosa atq. impassibilia resurgerent.

Peripateticorum

PERIPATETICORVM igitur opinio in via naturali solum veritatem habet, nullo modo reditum hunc mortalium post eorum interitum esse possibilem, sed tantum secundum speciem, qui quidem reditus circularem & perpetuam horum inferiorum generationem sequitur: nam cum motus non sit vnus numero, & si videatur motus iteratus similem formam priori reparare, non est tamen eadē forma numero cum priori, sed solum specie. Impossibile præterea est, tum ex parte principij actiui, tum finis reditum hunc naturaliter fieri, si enim animæ post mortem redirent ad corpora, cum ab æterno illis inessent, nulla possent fœlicitate gaudere, ita vt ratione finis, impossibilis videatur, ex parte verò agentis hoc fieri non potest, quoniam agens naturale per formam agit, vt sibi simile producat.

OPINIONIBVS itaq. expensis, vt opinio Peripatetica firma maneat, operepretium est vt rationes dissoluamus, quæ illam oppugnant.

AD primam igitur dicimus illam nihil concludere, quoniam causæ vniuersales absq. agentibus particularibus non possunt aliquod individuum & singulare producere, hic enim homo est qui hunc hominem generat.

AD secundam dicimus, illam nihil probare, quoniam similitudo sequitur motum seminis maiorum, quemadmodum scribit Arist. in libro de animalibus non autem partes illorum, cum nihil earum remaneat in corruptione, sed solum prima materia, quæ est comunis.

AD tertiam dicunt Peripatetici, verum quidem esse, naturam id quod melius est intendere, dummodo illud sit illi possibile, quod si fuerit impossibile, natura illud non intendit, cum ergo seruare in numero mortalia naturæ sit impossibile, sed tantum in specie, nunquam poterit noua generatione illa reparare.

AD quartam dicimus argumentum in accidentibus concludere, non autem in substantijs, in quarū corruptione fit resolutio vsq. in materiam primam, quod minime contingit in arte factis, quorum formæ sunt accidentales. Præterea etiam in artefactis non videtur vnum numero & idem esse, quod reficitur cum eo, quod prefuit, cum motus non sit vnus numero artificis.

AD quintam de Phœnice & vermibus, dicimus eodem numero minime reparari, sed specie eadem, quemadodum cetera, quoniam per putredinem continuo generantur.

AD sextam Peripatetici consequentiam negant, quoniam solus intellectus cum sit immortalis & a, corpore separatus, violentum esset si iterum vniretur corpori mortali.

AD vltimam rationem consequentiam negant, quoniam possibile est homini perfecto secundum scientias speculatiuas, in hac vita beari, & si momento temporis hoc statu frui videatur, vbi adhuc est corpori intellectus copulatus. Nam cum in mentem mutari possit, beatus efficitur, in hac vita ipsaq. beatitudine post mortem æterno tempore gaudet & fruitur.

Finis

FINIS DISPVTATIONVM IN
libros Arist. de Ortu, & Interitu Antonij Bergæ
Taurinensis, Philosophi
& Medici.

43086
5

BIBLIOTECA